UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 01308050 2

QUOMODO TACITUS, HISTORIARUM SCRIPTOR, IN HOMINUM MEMORIA VERSATUS SIT USQUE AD RENASCENTES LITERAS SAECULIS XIV. ET XV.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

E. CORNELIUS
RHENANUS.



MARPURGI CATTORUM
MDCCCLXXXVIII.

PA
6716
C6
1888
c.1
ROBA

KOENIGL.
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
MARBURG

Quomodo Tacitus, historiarum scriptor, in hominum memoria versatus sit usque ad renascentes literas saeculis XIV. et XV.

Cornelius Tacitus, historiarum scriptor, futurum esse laetissima spe ferebatur, ut opera sua »manerent mansuraque essent in animis hominum« [1]) idemque de eo augurabatur aequalis, Plinius minor amicus.[2]) Hanc exspectationem non esse deceptam, verum non plane evenisse, ex eo perspicuum est, quod libri eius etiam nunc in omnium virorum doctorum manibus versantur, sed non omnes nobis relicti sunt. Satis enim constat, Tacitum non modo scriptoris munere functum esse, sed etiam orationes sive habuisse sive edidisse[3]) rhetoricisque studiis fuisse deditum.[4]) Huius autem generis scripta plane perierunt praeter dialogum de oratoribus, cuius etiam ipsius magna pars lacunis hausta est. Quin etiam ex operibus ad res narrandas pertinentibus, quae fatum omnia nobis reservasse videtur, soli libelli de vita Agricolae et de Germaniae situ integri ad nostram memoriam pervenerunt, historiarum quattuor primi et pars quinti, annaliumque libri 1—6 et 11—16, neque hi quidem pleni, adhuc exstant. Cuius rei causam cognoscas, si memineris, quam Taciti libri difficiles sint intellectu, unde homines facile, quominus totos integrosve eos perlegerent perscriberentve deterrebantur. Sed opera clarissimi scriptoris non prorsus post eius obitum latuisse iam Ritterus et Haaseus in praefationibus ad Taciti opera aliique viri docti monuerunt. Quodsi nihilo minus huius scriptoris vestigia, quae nobis tempora intereuntis imperii Romani et medium aevum usque ad renascentes literas reliquerunt, denuo persequi audeo, ideo hunc laborem suscepi, quod nonnulla argumenta invenisse mihi videor, quae memoriam Taciti non tam »tenuem et mancam« fuisse, quam Haaseus l. l. p. XIV. contendit, possint docere, [quamvis fontes non tam abunde fluant, quam eis optabile est, qui praeclara huius rerum scriptoris opera admirantur atque aemulantur.

Jam primo post Taciti mortem saeculo libros eius non plane oblivione fuisse obrutos et Latini et Graeci Antoninorum temporum scriptores nos docebunt. Nam historiarum quidem scriptores

---

[1]) Tac. Agr. 46. — [2]) Confer Plin. ep. 7, 33, 1 totamque Plinii epistulam 9, 27, sine dubio Tacitum laudantem, quamvis nomen eius non sit adscriptum. — [3]) Plin. ep. 2, 11, 17; 2, 1, 6. — [4]) Plin. ep. 1, 20. Verum librum illum »facetiarum« a Fulgentio (de abstr. sermm. p. XXIV. ed. Lersch; cf. ib. p. 72 sq.) laudatum Tacito abiudices velim, quoniam Lerschius in libro adscripto luce clarius Fulgentium fraudatorem fuisse demonstravit.

Suetonius, Plutarchus, Cassius Dio, qui imperatorum Romanorum res gestas memoriae tradiderunt, res multas e Tacito hauserunt, Florus et Justinus, ille Titi Livi, hic Trogi Pompei epitomator, verborum usum eius imitati sunt. Primum autem de illis, quos priore loco posui scriptoribus, quoniam quomodo cum Tacito cohaereant, non satis investigatum est, fusius disserere mihi proposui.

Magnam quidem inter Plutarchi vitas Galbae et Othonis atque Taciti historiarum libros primum et secundum similitudinem viri docti alii alio modo interpretati sunt, hi utrique scriptori unum eundemque fontem vindicantes,[1]) illi Tacitum Plutarchi auctorem fuisse iudicantes.[2]) Longum est, hanc quaestionem iam persaepe tractatam singillatim persequi, sed cur opinioni eorum, qui Taciti historias Plutarcho non ignotas fuisse putent, accedam, facere non possum, quin causas quam brevissime aperiam.

Jam primum omnium Mommsenus mihi non persuasit, Tacitum, tantae apud aequales auctoritatis scriptorem, unum eundemque fontem usque ad verborum usum exscripisse, siquidem ipse se non modo Cluvio Rufo, quem Mommsenus utriusque scriptoris unum fontem fuisse opinatur, sed etiam Mesalla et Plinio (hist. 3, 28) et aliis fontibus (hist. 1, 41; 2, 37; 3, 51) usum esse testatur.[3]) Tantus autem inter Plutarchum et Tacitum consensus nos docet, hunc ab illo ut non solum, ita praecipuum praeter alios auctores ad res narrandas adhibitum esse. Sed ne iam a Nipperdeio, Clasonio, Langeo, Lezio bene dicta repetam, nonnulla ad confirmandam eorum opinionem adiciam:

E Galbae quidem vita haec exempla comparanda collegi:

Plut. Galb. 26

Ἤμυνε δὲ οὐδεὶς οὐδὲ ὑπέστη πλὴν ἑνὸς ἀνδρός, ὃν μόνον ἥλιος ἐπεῖδεν ἐν μυριάσι τοσαύταις ἄξιον τῆς Ῥωμαίων ἡγεμονίας· Σεμπρώνιος ἦν Δῆνσος, ἑκατοντάρχης, οὐδὲν ἰδίᾳ χρηστὸν ὑπὸ Γάλβα πεπονθώς, τῷ δὲ καλῷ καὶ τῷ νόμῳ βοηθῶν προέστη τοῦ φορείου. Καὶ τὸ κλῆμα πρῶτον, ᾧ κολάζουσιν ἑκατοντάρχαι τοὺς πληγῶν δεομένους ἐπαράμενος τοῖς ἐπιφερομένοις ἐβόα καὶ διεκελεύετο φείδεσθαι τοῦ αὐτοκράτορος. Ἔπειτα συμπλεκομένων αὐτῷ σπασάμενος τὸ ξίφος ἠμύνατο πολὺν χρόνον, ἕως τυφθεὶς τὰς ἰγνύας ἔπεσε, cf. cap. 27: *Μετ' ὀλίγον δὲ ἦκε κομιζομένη* (scil. *Πείσωνος κεφαλή*)· *τρωθεὶς γὰρ ἔφευγεν ὁ νεανίσκος καὶ καταδιωχθεὶς ὑπὸ Μούρκου τινὸς ἀπεσφάγη πρὸς τῷ ἱερῷ τῆς Ἑστίας.*

Tac. hist. 1, 42 fin. 43

Ante aedem divi Julii iacuit (scil. Titus Vinius) primo ictu in poplitem, mox ab Julio Caro legionario milite in utrumque latus transverberatus. c. 43: Insignem illa die virum Sempronium Densum aetas nostra vidit. Centurio is praetoriae cohortis, a Galba custodiae Pisonis additus, stricto pugione occurrens armatis et scelus exprobrans ac modo manu modo voce vertendo in se percussores quamquam vulnerato Pisoni effugium dedit. Piso in aedem Vestae pervasit exceptusque misericordia publici servi et contubernio eius abditus ..... cum advenere ..... Sulpicius Florus ..... et Statius Murcus speculator, a quibus protractus Piso in foribus templi trucidatur.

[1]) Mommsen, Hermes 4, 295; Nissen, Rhein. Mus. 26, 497; Hirzel, Comparatio eorum, quae de imp. Galba et Oth. relata legimus apud Tacitum, Suetonium, Plutarchum. Dionem Cassium. — [2]) Nipperdey, Einleitung zu Tacitus' Annalen p. 28; Clason, Plutarch und Tacitus; R. Lange, De Tacito Plutarchi auctore; Lezius, De Plutarchi in Galba et Othone fontibus. — [3]) Quam diligenter Tacitus omnia, quae ad historiam describendam pertinent, perscrutatus sit, ut alia omittam, ex duabus Plinii epistulis 6, 16 et 6, 20 satis apparet.

Plutarchus hoc loco Sempronium Densum non Pisoni, ut Tacitus, sed Galbae auxilium ferentem fingens errorem ex ipsis Taciti verbis commisisse mihi videtur, cum ea, quae nonnullis versibus ante caput 43 de Titi Vini morte legit (»iacuit primo ictu in poplitem«) cum Sempronii Densi caede confunderet (»ἕως τυφθεὶς τὰς ἰγνύας ἔπεσε«) et quamquam Sempronium Galbae adiutorem alio modo sese gerentem facit, tamen verba: »stricto pugione« in Graecam linguam transfert: »σπασάμενος τὸ ξίφος.« Accedit, quod Suetonius, qui in vita Galbae c. 20 omnia profert, quae ad Galbam ipsum, omnia omittit, quae ad Pisonem et reliquos Galbae amicos pertinent, ea in re cum Taciti testimonio consentit: »neque praesentium quemquam opem imperatori ferre conatum.« Sic Plutarchus auctor erroris postea apud Xiphilinum (vide Cass. Dio 64, 6) repetiti fuisse videtur.

Etiam hos locos conferendos propono:

Plut. Galb 29

Τοιαῦτα τὰ κατὰ τὸν Γάλβαν, ἄνδρα μήτε γένει, μήτε πλούτῳ πολλῶν ἀπολειφθέντα Ῥωμαίων, ὁμοῦ δὲ πλούτῳ καὶ γένει πρωτεύσαντα πάντων τῶν καθ' αὑτόν, πέντε δ' αὐτοκρατόρων ἡγεμονίαις ἐμβιώσαντα μετὰ τιμῆς καὶ δόξης.

Tac. hist. 1, 49

Hunc exitum habuit Servius Galba, tribus et septuaginta annis quinque principes prospera fortuna emensus et alieno imperio felicior quam suo. Vetus in familia nobilitas, magnae opes; ipsi medium ingenium magis extra vitia quam cum virtutibus.

Hi loci inter se comparati Plutarchum Tacito auctore usum esse luculenter nos docent, quoniam locum, quem hic non e fontibus, sed ex sua ipsius reputatione hausit, apud illum fere ad verbum exscriptum invenimus. Tacitus enim imperatorum et virorum illustrium, quorum res gestas usque ad vitae finem scribendo persecutus est, vitia et virtutes ad postremum de integro legentium animis oculisque proponere solet (cf. hist. 2, 50; 3, 34; 3, 75; 3, 86; ann. 6,51), qua de consuetudine ne hoc quidem loco recedit.

Alterum vero »longi illius et unius anni« imperatorem tractaturus hos locos, quibus Suetonius res, quae ad Othonem spectant, in Othonis, Plutarchus autem et Tacitus in Galbae vita narrant, colligere et afferre non inutile esse putavi:

Suet. Otho	Tac. hist. (Galba)	Plut. Galba
2 et 3 (Otho et Poppaea Sabina)	1,13	19
4 (de mathematicis)	1,22	23
4 (Otho militibus nummos dividendos curat)	1.24	20
5 (spes Othonis, fore, ut a Galba adoptetur)	1,13	21
5 (Onomastus)	1,25	24; 25
6 (de Milliareo aureo)	1,27	24
6 (de Pisonis caede)	1,43	27

Maximi autem momenti ad hanc quaestionem solvendam hi quidem loci mihi videntur, quos, quamquam ab aliis tractati sunt,[1]) denuo proposuisse et illustrasse me non pigebit:

Plut. Oth. 9

Καὶ τοῦτο μὲν διηγεῖτο Σεκοῦνδος ὁ ῥήτωρ ἐπὶ τῶν ἐπιστολῶν γενόμενος τοῦ Ὄθωνος· ἑτέρων δ' ἦν ἀκούειν, ὅτι τοῖς στρατεύ-

Tac. hist. 2, 37; 38

Invenio apud quosdam auctores pavore belli seu fastidio utriusque principis, quorum flagitia ac dedecus apertiore in dies fama noscebantur, dubitasse exercitus, num posito certamine vel ipsi in medium consultarent, vel senatui permitterent,

[1]) Mommsen. l. l. 4, 307; Clason p. 13; Lange p. 5.

μασιν ἀμφοτέροις παρίσταντο ὁρμαὶ πολλαί, ὡς εἰς ταὐτὸ συνελθεῖν· καὶ μάλιστα μὲν αὐτοὺς ὁμοφρονήσαντας ἐκ τῶν παρόντων ἡγεμονικῶν ἑλέσθαι τὸν ἄριστον, εἰ δὲ μή, τὴν σύγκλητον ὁμοῦ καθίσαντας ἐφεῖναι τὴν αἵρεσιν ἐκείνῃ τοῦ αὐτοκράτορος. Καὶ οὐκ ἄπεικός ἐστιν, μηθετέρου τότε τῶν προσαγορευομένων αὐτοκρατόρων εὐδοκιμοῦντος ἐπιπίπτειν τοιούτους διαλογισμοὺς τοῖς γνησίοις καὶ διαπόνοις καὶ σωφρονοῦσι τῶν στρατιωτῶν, ὡς ἔχθιστον εἴη καὶ δεινόν, ἃ πάλαι διὰ Σύλλαν καὶ Μάριον, εἶτα Καίσαρα καὶ Πομπήιον ᾠκτείροντο δρῶντες ἀλλήλους καὶ πάσχοντες οἱ πολῖται, ταῦτα νῦν ὑπομένειν ἢ Οὐϊτελλίῳ λαμαργίας καὶ οἰνοφλυγίας ἢ τρυφῆς καὶ ἀκολασίας Ὄθωνι τὴν ἡγεμονίαν χορήγημα προθεμένους.

legere imperatorem, atque eo duces Othonianos spatium ac moras suasisse, praecipua spe Paulini, quod vetustissimus consularium et militia clarus gloriam nomenque Britannicis expeditionibus meruisset. Ego ut concesserim, apud paucos tacito voto quietem pro discordia, bonum et innocentem principem pro pessimis et flagitiosissimis expetitum, ita neque Paulinum, qua prudentia fuit, sperasse, corruptissimo saeculo tantam vulgi moderationem reor, ut, qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate deponerent, neque aut exercitus linguis moribusque dissonos in hunc consensum potuisse coalescere, aut legatos ac duces magna ex parte luxus, egestatis, scelerum sibi conscios nisi pollutum obstrictumque meritis suis principem passuros. (cap. 38): Vetus ac iam pridem insita mortalibus potentiae cupido cum imperii magnitudine adolevit erupitque: nam rebus modicis aequalitas facile habebatur. Sed ubi subacto orbe et aemulis urbibus regibusve excissis securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebemque certamina exarsere. Modo turbulenti tribuni, modo consules praevalidi, et in urbe ac foro temptamenta civilium bellorum; mox e plebe infima C. Marius et nobilium saevissimus L. Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt. Post quos Cn. Pompeius occultior nec melior, et numquam postea nisi de principatu quaesitum. Non discessere ab armis in Pharsalia ac Philippis civium legiones, nedum Othonis ac Vitellii exercitus sponte posituri bellum fuerint: eadem illos deum ira, eadem hominum rabies, eaedem scelerum causae in discordia egere. Quod singulis velut ictibus transacta sunt bella, ignavia principum factum est. Sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit: nunc ad rerum ordinem redeo.

Nimirum Tacitus Marium, Sullam, Pompeium, proelia apud Pharsalum et Philippos commemorat, non quod ea in fontibus suis relata invenerit, sed quod sua de Romanorum magnitudine et imperii cupidine reputatione[1]) ad conferenda Othonis atque Vitellii et illorum imperatorum tempora adductus est. Cum autem Plutarchus eadem fere exempla ita proferat, ut milites utriusque exercitus deliberantes faciat cavendum esse, ne ea, quae cives a Sulla, Mario, Caesare, Pompeio passi sint, etiam ab Othone et Vitellio patiantur, qui sine praesumpta opinione vera falsaque perpendat, Graecum scriptorem verbis: »*καὶ οὐκ ἄπεικός ἐστι*« e. q. s. Taciteorum verborum c. 37: »ego ut concesserim« e. q. s. cum exemplis illis ex capite 38 haustis coniunctorum memoriam prodere facile sibi persuadebit. Accedit, quod Taciti caput 38 non ex scriptore rerum sub imperatoribus Romanis gestarum fluxisse, sed verba Sallustii Catilinae cap. 6—14 imitari[2]) non modo rerum ordine sed etiam nonnullis

[1]) Confer: »Sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit: nunc ad inceptum redeo.« — [2]) Confer Heraei adnotationem ad cap. 37.

locutionibus [1]) commoti pro certo affirmare posse nobis videmur. Sed satis superque demonstrasse mihi videor, cur Plutarchum primum Taciti imitatorem et aemulatorem appellarem.

Suetonius ut non prorsus eisdem quibus annalium scriptor fontibus in rebus narrandis usus est,[2]) ita multa dicta ex annalibus et praecipue ex historiis usque ad verbum exscripsit,[3]) quae quamquam Krauseus et Lehmannus omnia fere enumeraverunt, nihilo minus alio ordine proponenda esse duxi:

Suetonius	Tacitus
Tib. 21 Et statim ex itinere revocatus iam quidem adfectum, sed tamen spirantem adhuc Augustum repperit. cf. Cal. 12.	ann. 1, 5 neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem reppererit. cf. Justin. 11, 15, 5.
Tib. 22 Tiberius renuntianti tribuno, factum esse, quod imperasset, neque imperasse se et redditurum eum senatui rationem respondit.	ann. 1, 6 nuntianti centurioni, ut mos militiae, factum esse, quod imperasset, neque imperasse sese et rationem facti reddendam apud senatum respondit.
cf. Claud. 29. (Claudius) in quinque et triginta senatores trecentosque amplius equites Romanos tanta facilitate animadvertit, ut de nece consularis viri renuntiante centurione factum esse, quod imperasset, negaret quicquam se imperasse.	
Tib. 24 nunc precantem senatum et procumbentem sibi ad genua ambiguis responsis et callida cunctatione suspendens.	ann. 1, 11 Tiberioque etiam in rebus, quas non occuleret, seu natura sive adsuetudine, suspensa semper et obscura verba, tunc vero nitenti, ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur.

[1]) Tac. cap. 37
linguis moribusque dissonos in hunc consensum potuisse coalescere.

Tac. cap. 38
vetus ac iam pridem insita mortalibus potentiae cupido cum imperii magnitudine adolevit erupitque.

Sall. Cat. 6
hi postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alii alio more viventes, incredibile memoratu est. quam facile coaluerint.

Sall. Cat. 7
sed civitas incredibile memoratu est, adepta libertate quantum brevi creverit: tanta gloriae cupido incesserat. cf. cap. 10: igitur primo pecuniae deinde imperii cupido crevit, ea quasi materies omnium malorum fuere.

[2]) Confer Clason, Tacitus und Sueton, qui utrumque scriptorem ex eisdem fontibus hausisse rectissime negat, cum Reichau, De fontium delectu, quem in Tiberii vita moribusque describendis Velleius, Tacitus, Suetonius, Dio habuerunt p. 24. — [3]) Ex annalibus exempla contulerunt: Krause, De Suetonii fontibus et auctoritate p. 4; Reichau l. l.; confer Lehmann, Claudius und seine Zeit, p. 49, qui mirum in modum Taciti historias Suetonii fontem, verum Suetonii vitas Tiberii, Claudii, Neronis Taciti fontem fuisse contendit; ex historiis: Lehmann, l. l. p. 40; Clason, Plutarch und Tacitus p. 70.

Suetonius

Tib. 53 imputavit etiam, quod non laqueo strangulatam in Gemonias abiecerit.

Tib. 58 sub idem tempus, consulente praetore, an iudicia maiestatis cogi iuberet, exercendas esse leges respondit et atrocissime exercuit.

Tib. 67 quid scribam vobis, patres conscripti, aut quo modo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, dii me deaeque peius perdant, quam cotidie perire sentio, si scio.

Ner. 12 dedicatisque thermis atque gymnasio, senatui quoque et equiti oleum praebuit.

Galb. 14 ii erant Titus Vinius, legatus eius in Hispania, cupiditatis immensae; Cornelius Laco ex assessore praefectus praetorii, arrogantia socordiaque intolerabilis; libertus Icelus, paulo ante anulis aureis et Marciani cognomine ornatus ac iam summae equestris gradus candidatus.

Galb. 16 [2]) neque ratam rem habuit et subinde iactavit, legere se militem, non emere consuesse.

Galb. 19 iis ut occurreret prodiit, tanta fiducia, ut militi cuidam occisum a se Othonem glorianti: »quo auctore« responderit.

Galb. 20 sunt qui tradant, ad primum tumultum proclamasse eum: »quid agitis, commilitones? ego vester sum, et vos mei!« donativum etiam pollicitum. Plures autem prodiderunt, obtulisse ultro iugulum et ut hoc agerent ac ferirent, quando ita videretur, hortatum.

Tacitus

ann. 6, 25 memoriaeque id prodendum addidit Caesar iactavitque, quod non laqueo strangulata neque in Gemonias proiecta foret.

ann. 1, 72 mox Tiberius, consultante Pompeio Macro praetore, an iudicia maiestatis redderentur, exercendas leges esse respondit.

ann. 6, 6 quid scribam vobis, patres conscripti, aut quo modo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore di me deaeque peius perdant, quam perire me cotidie sentio, si scio. [1])

ann. 14, 47 gymnasium eo anno dedicatum a Nerone praebitumque oleum equiti ac senatui Graeca facilitate.

hist. 1, 13 potentia principatus divisa in Titum Vinium consulem, Cornelium Laconem praetorii praefectum; nec minor gratia Icelo, Galbae liberto, quem anulis donatum equestri nomine Marcianum vocitabant.

hist. 1, 5 [2]) accessit Galbae vox pro re publica honesta, ipsi anceps, legi a se militem, non emi.

hist. 1, 35 obvius in Palatio Julius Atticus speculator cruentum gladium ostentans occisum a se Othonem exclamavit; et Galba: »commilito,« inquit, »quis iussit?« insigni animo ad coercendam militarem licentiam.

hist. 1, 41 extremam eius vocem, ut cuique odium aut admiratio fuit, varie prodidere: alii suppliciter interrogasse, quid mali meruisset, et paucos dies exsolvendo donativo deprecatum; plures obtulisse ultro percussoribus iugulum: agerent ac ferirent, si ita e re publica videretur.

[1]) Tacitus non modo orationes, sed etiam pauca aliorum verba suis ipsius locutionibus reddidisse videtur, cf. praeter hunc locum hist. 1, 5; ann. 15, 67, quoniam semper, cum verba ipsa rettulerit, »hoc enim verbo usum ferunt« vel alia eiusmodi adiecit, cf. ann. 11, 37; 14, 59; 16, 4; hist. 3, 39. Ceterum cf. Nipperdeium ad ann. 6, 6. — [2]) Cf. Dio 64, 3, 3: *ἀμέλει καὶ τοῖς δορυφόροις αἰτοῦσι χρήματα οὐκ ἔδωκε καὶ ἤρη γε ὅτι καταλέγειν στρατιώτας, ἀλλ' οὐκ ἀγοράζειν εἴωθα.*

Suetonius

Galb. 20 ille (scil. Otho) lixis calonibusque donavit (caput Galbae), qui hasta suffixum non sine ludibrio circum castra portarunt.

Oth. 3 quare diducto matrimonio sepositus est per causam legationis in Lusitaniam.

Oth. 4 qui cum eum olim superstitem Neroni fore spopondisset, tunc ultro inopinatus advenerat, imperaturum quoque brevi repromittens.

Oth. 4 nullo igitur officii aut ambitionis in quemquam genere omisso, quotiens caena principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim dividebat, nec minus alium alia via militum demerebatur.

Oth. 6 deinde liberto adesse architectos nuntiante, quod signum convenerat, quasi venalem domum inspecturus abscessit, proripuitque se postica parte Palati ad constitutum.

Oth. 11 post hoc sedata siti gelidae aquae potione, arripuit duos pugiones et explorata utriusque acie, cum alterum pulvino subdidisset, foribus adopertis artissimo somno quievit. Et circa lucem demum expergefactus, uno se traiecit ictu infra laevam papillam.

Oth. 12 [2]) multi praesentium militum cum plurimo fletu manus ac pedes iacentis exosculati, fortissimum virum, unicum imperatorem praedicantes, ibidem statim nec procul a rogo vim suae vitae attulerunt.

Vit. 11 urbem denique ad classicum introiit paludatus ferroque succinctus, inter signa atque vexilla, sagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis.

Tacitus

hist. 1, 49 caput per lixas calonesque suffixum laceratumque ante Patrobii tumulum.

hist. 1, 13 mox suspectum in eadem Poppaea in provinciam Lusitaniam specie legationis seposuit.

hist. 1, 22 e quibus Ptolemaeus Othoni in provincia comes, cum superfuturum eum Neroni promisisset, postquam ex eventu fides, coniectura iam et rumore senium Galbae et iuventam Othonis computantium persuaserat fore, ut in imperium adsciscerentur.

hist. 1, 24 eo paullatim progressus est, ut per speciem convivii, quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos nummos divideret.

hist. 1, 27 nec multo post libertus Onamastus nuntiat exspectari eum ab architecto et redemptoribus, quae significatio coeuntium iam militum et paratae coniurationis convenerat.

hist. 2, 49 vesperacente die sitim haustu gelidae aquae sedavit. Tum adlatis pugionibus duobus,[1]) cum utrumque pertemptasset, alterum capiti subdidit. Et explorato, iam profectos amicos, noctem quietam, utque adfirmatur, non insomnem egit: luce prima in ferrum pectore incubuit.

hist. 2, 49 [2]) tulere corpus praetoriae cohortes cum laudibus et lacrimis vulnus manusque eius exosculantes. Quidam militum iuxta rogum interfecere se, non noxa neque ob metum, sed aemulatione decoris et caritate principis.

hist. 2, 89 ipse Vitellius a ponte Mulvio insigni equo, paludatus accinctusque senatum et populum ante se agens, quominus ut captam urbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumpta praetexta et composito agmine incessit.

[1]) Suetonii et Plutarchi (Oth. 17) imitationes verbum: »duobus«, quod in codicibus desideratur, ab editoribus recentioribus recte adiectum esse comprobant. — [2]) Cf. Dio 64, 15.

Suetonius

Vit. 11 magis deinde ac magis omni divino humanoque iure neglecto, Alliensi die pontificatum maximum cepit, comitia in decem annos ordinavit seque perpetuum consulem.

Vesp. 4 percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur.

Vesp. 5 arbor quoque cupressus in agro avito sine ulla vi tempestatis evulsa radicitus atque prostrata, insequenti die viridior ac firmior resurrexit.

Vesp. 5 apud Judaeam Carmeli dei oraculum consulentem ita confirmavere sortes, ut, quidquid cogitaret volveretque animo, quamlibet magnum, id esse proventurum pollicerentur.

Vesp. 6 ceterum divulgato facto, Tiberius Alexander, praefectus Aegypti, primus in verba Vespasiani legiones adegit Kalendas Julias, qui principatus dies in posterum observatus est. Judaicus deinde exercitus quinto idus Julias apud ipsum iuravit.

Tit. 5 (Titus) Galba mox tenente rem publicam missus ad gratulandum, quaqua iret, convertit homines, quasi adoptionis gratia accerseretur.

Tit. 5 sed ubi turbari rursus cuncta sensit, redit ex itinere aditoque Paphiae Veneris

Tacitus

hist. 2, 91 funesti ominis loco acceptum est, quod maximum pontificatum adeptus Vitellius de caerimoniis publicis XV. kalendas Augustas edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus: adeo omnis humani divinique iuris expers pari libertorum amicorum socordia velut inter temulentos agebat.

hist. 5, 13 pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens profectique Judaea rerum poterentur.

hist. 2, 78 cupressus arbor in agris eius conspicua altitudine repente prociderat ac postera die eodem vestigio resurgens procera ac latior virebat.

hist. 2, 78 est Judaeam inter Suriamque Carmelus; ita vocant montem deumque. . . . . Illic sacrificanti Vespasiano, cum spes occultas versaret animo, Basilides sacerdos inspectis identidem extis: »quidquid est«, inquit, »Vespasiane, quod paras, seu domum exstruere seu prolatare agros sive ampliare servitia, datur tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum.

hist. 2, 79 initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriae coeptum festinante Tiberio Alexandro, qui Kalendis Julis sacramento eius legiones adegit. Isque primus principatus dies in posterum celebratus, quamvis Judaicus exercitus quinto nonas Julias apud ipsum iurasset.

hist. 2, 1 Titus Vespasianus, e Judaea incolumi adhuc Galba missus a patre, causam profectionis officium erga principem et maturam petendis honoribus iuventam ferebat, sed vulgus fingendi avidum disperserat, accitum in adoptionem.

hist. 2, 2 atque illum cupido incessit adeundi visendique templum Paphiae Veneris. . . . . .

Suetonius	Tacitus
oraculo, dum de navigatione consulit, etiam de imperii spe confirmatus est.	hist. 2, 4 postquam pandi viam et mare prosperum accepit, de se per ambages interrogat, caesis compluribus hostiis. Sostratus (sacerdoti id nomen erat) ubi laeta et congruentia exta magnisque consultis adnuere deam videt, pauca in praesens et solita respondens, petito secreto futura aperit.

Nimirum dicta illa non e fonte quodam Tacito et Suetonio communi, sed e Tacito ipso fluxisse pro certo affirmaverim. Quicumque enim exempla collocata perlegerit, eum non fugiet, ex annalium et historiarum primis potissimum libris ea hausta esse, siquidem ex annalium ultima parte unam sententiam ille exscripsit (Ner. 12 = ann. 14, 47). Accedit, quod persaepe duo deinceps capita Tacitea (Tib. 21; 22 = ann. 1, 5; 1, 6; Oth. 4 = hist. 1, 22; 24; Oth. 11; 12 = hist. 2, 49 bis; Vit. 11 = hist. 2, 89; 91; Vesp. 5; 6 = hist. 2, 78; 79; Tit. 5 = hist. 2, 1; 2, 2) ad imitandum sibi usurpavit. Ut autem ea omittam, quae ann. 1, 5 = Tib. 21 apud Justinum 11, 15, 5, et ann. 1, 6 = Tib. 22 apud Suetonium ipsum Claud. 29 denuo occurrunt, ad coniecturam illam confirmandam etiam locutiones quasdam utriusque scriptoris similes afferre non inutile erit:

Tacitus	Suetonius
hist. 1, 1 uberiorem securioremque materiam. cf. dial. 3 emitteres Catonem non quidem meliorem, sed tamen securiorem.	Vesp. 6 ad securiorem mollioremque militiam.
hist. 1, 17 secreti impatiens.	Ner. 20 impatiens secreti.
hist. 1, 50 in melius mutare.	Vesp. 17 restituit in melius.
hist. 3, 82 ad serum usque diem.	Oth. 11 in serum usque patente cubiculo.
ann. 1, 5 spirantem adhuc.	Cal. 12 spiranti adhuc, cf. Tib. 21.
ann. 1, 12 perculsus improvisa interrogatione.	Tib. 11 perculsus ergo inopinata re.
ann. 13, 38 vergente iam die.	Oth. 7 vergente iam die.
Germ. 22 diem noctemque continuare potando.	Tib. 42 noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit.

Sane quidem etiam Cassius Dio admodum multas res ex annalibus et historiis hausisse videtur[1]), quas omnes Caesares deinceps tractans legentium animis proponam:

In rebus sub Tiberio gestis narrandis praecipue haec ex annalibus sumpsit:

Dio 57, 2 = Tac. ann. 1, 12 (de Asinio Gallo).
Dio 57, 3 = ann. 1, 6 (de Agrippae Posthumi caede).
Dio 57, 4 = ann. 1, 16 — 31 (de legionum Pannonicarum seditione).
Dio 57, 5 = ann. 1, 31 — 50 (de legionum Germanicarum seditione).
Dio 57, 6 = ann. 1, 52 (quomodo Tiberius Germanicum iudicaverit).
Dio 57, 15 = ann. 2, 27 sq. (de Scribonio Libone).

[1]) L. Spengel, Das erste Buch der Annalen des Tacitus, Abhandlungen der Münch. Acad., philos.-philol. Classe 7, 695. Knabe, De fontibus historiae imperatorum Juliorum. Halle 1861, p. 38 sq. Egli, Feldzüge in Armenien in den Jahren 41—63 nach Chr., ein Beitrag zur Kritik des Tacitus, in Büdingers Untersuchungen zur römischen Kaisergeschichte 1, 335. Reichau l. l.

Dio 57, 16 ann. 2, 39 sq. (de Clemente illo, qui Agrippam se esse finxit; non omnia cum Tacito consentiunt).

Dio 57, 17 ann. 2, 42 (de rege Archelao: verum fieri quoque potest, ut Dio aliis fontibus usus sit).

Dio 57, 18 = ann. 2, 69 sq.; 3, 2 sq.; 3, 11 sq.; cf. Zonaras 11, 2 = ann. 2, 73 (de Germanici caede).

Dio 57, 20 = ann. 3, 49 sq. (de C. Lutorio sive Clutorio Prisco).

Dio 57, 19 = ann. 4, 1 et 2 (de Seiani principiis).

Dio 57, 22 ann. 4, 3; 4, 8; 4, 10 sq. (de Drusi caede; verum confer ann. 4, 3 et 4, 12).

Dio 57, 24 = ann. 4, 34 sq. (de Cremutio Cordo).

Dio 58, 1 ann. 4, 69 sq. (de caede Sabini, cui Dio alia ex aliis fontibus inseruisse videtur).

Dio 58, 2 = ann. 5, 1 et 2 (de Liviae excessu).

Dio 58, 5 — 16 (de Seiani exitu); non pauca ex annalium libri quinti parte deperdita fluxisse videntur; cf. Suet. Tib. 65; D. 58, 10 = ann. 6, 2; 58, 11 = ann. 5, 9.

Dio 57, 19 = ann. 6, 20? (praesagium Tiberii de Galba); cf. Suet. Galb. 4.

Dio 58, 17 et 18 = ann. 6, 2 et 3 (Tiberium senatus consultum repudiasse).

Dio 58, 19 = ann. 6, 8 (ubi verba Taciti ex oratione Terentii referuntur).[1])

Dio 58, 25 = ann. 6, 38 (de exitu Fulcinii Trionis).

Dio 58, 26 = ann. 6, 31 sq. (de rebus in Oriente gestis).

Dio 58, 27 = ann. 6, 28 (de phoenice ave).

Dio 58, 28 = ann. 6, 50 sq. (de Tiberii morte).

Cassius igitur Dio primo praecipue annalium libro usus est, quem usque ad c. 52, aliis praeterea fontibus adhibitis, excerpsit. In eis vero, quae de Asinio Gallo refert, usque ad verba non raro cum auctore suo convenit:

Dio 57, 2	Tac. ann. 1, 12
Ἀσίνιος δὲ δὴ Γάλλος ..... „ἔλου,“ ἔφη, „ἣν ἂν ἐθελήσῃς μοῖραν“.	Tum Asinius Gallus: »Interrogo,« inquit, »Caesar, quam partem rei publicae mandari tibi velis«.
ἀλλ' ὡς ἀδύνατον ὂν τὴν ἀρχὴν διαιρεθῆναι.	ut divideret, quae separari nequirent.
οὐ μέντοι καὶ τῷ ἔργῳ ἐτιθάσευσεν	nec ideo iram eius lenivit pridem invisus.
ὅθενπερ καὶ πρότερον διὰ μίσους αὐτῷ ἦν.	

Omnia autem illa exempla pertractare longum est, sed in iis, quae de Pannonicarum legionum seditione leguntur, apud Dionem nihil desiderari eorum, quae apud Tacitum exstant, ex his locis demonstrasse me non pigebit:

Dio 57, 4 § 1 = ann. 1, 16; 18.
D. § 2 = ann. 23; 17; cf. 47.[2])
D. § 3 = ann. 19; 16.
D. § 4 = ann. 24; 27; 28[3]); 29.
D. § 5 = ann. 30; 29; 30.

Accedit, quod Suetonius, qui Tib. 25 utramque militum seditionem paucis absolvit: »Flagitabant ambo exercitus multa extra ordinem, ante omnia, ut aequarentur stipendio praetori-

[1]) Confer Knabe, l. l. p. 40. — [2]) Confer Spengel, l. l. p. 702 nota 3. — [3]) Confer: »*καὶ αὐτὸν τῆς νυκτὸς περιεφρούρησαν*« cum Tac. c. 28: »quousque filium imperatoris obsidebimus?«

anis (scil. ut binos denarios mererent). Germaniciani quidem etiam principem detrectabant non a se datum, summaque vi Germanicum, qui tum iis praeerat, ad capessendam rem publicam urgebant, quamquam obfirmate resistentem« plane abhorret a Tac. 1, 17: »ut singulos denarios mererent« Dio 57, 4: „*δραχμὴν ἡμερησίαν φέρειν*" atque a Tac. 1, 35: »et si vellet imperium« Dio 57, 6: *τὸν Γερμανικὸν αὐτοκράτορα ἐκάλεσαν*." Exempla supra exscripta Dionem praeter librum I. imprimis libros V. et VI., sed minus diligenter libros II., III., IV. expilasse nos docent, quoniam, ut alia omittam, Dio 57, 22 bis cum Tacito pugnat:

Dio 57, 22	Tac. ann. 4, 3
ὁ γὰρ Σηιανὸς ἐπί τε τῇ ἰσχύι καὶ ἐπὶ τῷ ἀξιώματι ὑπερμαζήσας τά τε ἄλλα ὑπερογκος ἦν καὶ τέλος καὶ ἐπὶ τὸν Δροῦσον ἐτράπετο καί ποτε πὺξ αὐτῷ ἐνέτεινεν.	nam Drusus impatiens aemuli et animo commotior, orto forte iurgio intenderat Seiano manus et contra tendentis os verberaverat.
Dio 57, 22	Tac. ann. 4, 12
τούς τε χειρουργήσαντας τὸν ὄλεθρον αὐτοῦ (scil. *τοῦ Δρούσου*), *τοὺς μὲν εὐθύς, τοὺς δὲ μετὰ ταῦτα, ἐκόλασεν.*	nam Seianus, ubi videt mortem Drusi inultam interfectoribus e. q. s.

Magna inter Dionem et ann. VI. similitudine obiter commemorata, restat, ut eum ex libri V. parte deperdita non paucas res sumpsisse comprobem. Multo igitur copiosius Cassium Dionem 58, 5—16 de Seiani excessu disserere, quam Suetonium Tib. 65, non est neglegendum, quandoquidem Tacitum quoque rem gravissimam quam accuratissime tractasse veri simillimum est. Sed cum etiam ea, quae in servata annalium parte (5, 9) de miserrimis Seiani liberis legimus, denuo apud Dionem 58, 11 reperiamus atque epistulam Tiberii, de qua Dio c. 10 disserit, apud Tacitum 6, 2 commemoratam inveniamus, hunc cum maxime in hac parte operis praeter alios scriptores illius auctorem fuisse admodum probabile fit. Quod vero Dio c. 13, Tiberium de Seiani morte laetatum esse narrat (*ἐπεὶ δὲ ἔμαθεν αὐτὸν ἀπολωλότα, ἔχαιρε μέν, ὥσπερ εἰκὸς ἦν*), cum eis, quibus Tacitus huius imperatoris naturam et indolem describit, optime convenit.

Caligulae regnum, quippe quod in annalibus Romani scriptoris interciderit, ut mittam,[1]) ad rerum sub Claudio imperatore gestarum ultimam partem adhuc servatam transeo,[2]) ex qua Dio haec excerpsit:

[1]) In adnotatione tamen haec proposuerim lectori: Dio 59, 5, 1 = Ausonius, Caesares, qui de Caligula dicit: »Successit saevo saevior ingenio.« Dio 59. 8, 5 = Tac. ann. 13. 1 (Caligulam Silanum pecudem aureum appellasse; verum Dio Silanum, qui apud Suet. Cal. 12; 23 exstat, cum illo, qui sub Nerone necatus est (Tac. l. l.) confudisse videtur). Dio 59, 29, 2 verba» *γύννιν τε γὰρ αὐτὸν καίπερ ἐρρωμενέστατον ἀνδρῶν ὄντα* (scil. *Χαιρέαν*)« e. q. s. potius e Tacito (cf. ann. 1, 32) quam e Suetonio Cal. 56 fluxisse putanda sunt.

[2]) Ex prima autem huius regni parte Dionem haec expilasse suspicor:

Dio 60, 1 fortasse e Tacito fluxit; confer Aurel. Vict. Caes. 3, 14 sq., verum etiam Suet. Claud. 10 (quomodo Claudius imperator creatus sit).

Dio 60, 8 (Senecam in exilium fuisse actum); cf. Tac. ann. 12, 8.

Dio 60, 9 (de rebus contra Mauros gestis: totum caput e Tacito fluxisse videtur, quoniam Suetonius nihil de ea re refert); cf. Aur. Vict. Caes. 4, 2; Epit. 4, 5.

Dio 60, 16 (de Arriae et Paeti morte, de quo Suetonius omnino silet); cf. Tac. ann. 16, 34.

Dio 60, 19—22 (de rebus in Britannia gestis; cf. Dio 62. 1 sq.) e Tacito hausta esse videntur; cf. Dio 60, 21, 3 cum Aurel. Vict. Caes. 4, 2.

Dio 60, 30 = Tac. ann. 11, 18 — 20 (de Corbulonis in Germania rebus gestis).

Dio 60, 31 = ann. 11, 26 — 38; cf. 11, 12; 11, 5 (de Messalina et Silio).

Dio 60, 31 = ann. 12, 1 — 4; cf. Zonaras 11, 10 = ann. 12, 1 — 7 (de Claudii et Agrippinae nuptiis).

Dio 60, 32 = ann. 12, 41; 12, 9; 12, 8; 12, 22; cf. 12, 1 sq. (de Nerone et Britannico).

Zonaras 11, 10 = ann. 12, 36 — 37 (de Carataco, barbarorum duce).

Neronis autem in regno narrando Cassius Dio non modo ultimam annalium partem, sed etiam libellum de Agricola hac ratione iuspexisse videtur:[1])

Dio 61, 3 = ann. 13, 3 (de Neronis oratione, cum imperium inierit).

Dio 61, 3 = ann. 13, 5 (de Agrippinae superbia).

Dio 61, 6 (cf. Dio 59, 8) = ann. 13, 1 (de Sabini caede).

Dio 61, 8 = ann. 13, 18 et 19 (quomodo Nero Agrippinam custodiendam curaverit).

Dio 61, 2 = ann. 14, 9 (quid Agrippina de se ipsa praedicaverit).

Verum plura ex annalium libris XIV. — XVI. vestigia in Dionis libris insunt:[2])

Dio 62, 1 — 7 = ann. 14, 31 — 40; Agr. 30 sq.; cf. Agr. 16 (de Boudicca, Britannorum regina).

Dio 62, 13 = ann. 14, 51 (de Sophonio Tigellino).

Dio 62, 14 = ann. 14, 59 (de Plauti excessu).[3])

Dio 62, 16 — 18 = ann. 15, 38 — 44 (de urbis Romae incendio).

Dio 62, 19—23 = ann. 13, 34; 13, 35; 13, 41; 14, 23; 15, 1—29[4]) (de Corbulonis rebus in Armenia gestis).

Dio 62, 25[5]) = ann. 15, 60 — 63 (de Senecae et Paulinae mortibus).

Dio 62, 26 = ann. 16, 32; 33; 31; 21; 35 (de Sorani et Thraseae caedibus).

Dio 62, 27 = ann. 16, 7; 16, 8; 15, 57; 15, 71; 16, 6 (quomodo C. Cassius, Junius Torquatus, Epicharis, Musonius Rufus, Poppaea Sabina mortui sint).

Ut alia omittam, haec quidem commonenda esse putavi. Dioni igitur, cum 62, 1—7 et Boudiccam et Suetonium Paulinum in contione militum verba facientes introduceret, praeter alios fontes

---

[1]) A Tacito vero haec abhorrent:

Dio 60, 33; cf. ann. 12, 56 et Suet. Claud. 21 (de navali proelio a Claudio in scenam inducto).

Dio 60, 34; cf. ann. 12, 66 (de Claudii caede).

Dio 61, 9; cf. ann. 13, 25 (de Julio illo Montano, qui Neronem offendit et ad mortem adactus est).

Dio 61, 11; cf. ann. 13, 45 sq. (de Othone, Neronis amico). Etiam Agrippinae caedes Dio 61, 12—14 non plane cum Tacito consentit, conveniunt enim Dio c. 12 cum ann. 14, 3 et 4; Dio c. 13 cum ann. 14, 4; 3; 5; 8; pugnat autem Dio c. 12 § 1 cum ann. 14, 3 et Dio c. 14 cum ann. 14, 9—11.

[2]) E libri XVI. parte deperdita haec fluxisse videntur:

Dio 63, 1—7; cf. Dio 62, 20 sq. et Suet. Ner. 13 (quomodo Tiridates Romae a Nerone exceptus sit).

Dio 63, 17 = Ammian. 15, 2, 5; cf. Dio 62, 20 sq. (de Corbulonis excessu).

Dio 63, 27 = Aurel. Vict. Epit. 5, 7
Dio 63, 29 = Aurel. Vict. Epit. 5, 7 } (de Neronis morte.)
Dio 63, 29 = Aurel. Vict. Caes. 5, 17

[3]) Apud Dionem exstat: »τὸν γοῦν Πλαῦτον ἀποκτείνας, ἔπειτα τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ προσενεχθεῖσάν οἱ ἐδών· οὐκ ἔγνων,« ἔφη, »ὅτι μεγάλην ῥῖνα εἶχεν;« apud Tacitum: »caput interfecti relatum; cuius aspectu (ipsa principis verba referam) »cur,« inquit Nero . . . . .,« tum parva lacuna sequitur, quam ex Dionis verbis sic explendam esse censeo: »cur,« inquit Nero, »magnum nasum habuit?« — [4]) Cf. Egli, l. l. — [5]) Omnia nomina, quae apud Dionem 62, 25—27 exstant, praeter illa Senecae, Thraseae, Poppaeae Sabinae apud Suetonium desiderantur.

non modo ann. 14, 35 et 36, sed etiam Calgaci et Agricolae orationes Agr. 30 sq. ante oculos versabantur:

Cassius Dio	Tacitus
62, 5, 2 *φοβεῖσθε δὲ μηδαμῶς τοὺς Ῥωμαίους, οὔτε γὰρ πλείους ἡμῶν εἰσιν οὔτ' ἀνδρειότεροι* cf. c. 6.	Agr. 32 an eandem Romanis in bello virtutem, quam in pace lasciviam esse creditis? ..... metus ac terror sunt infirma vincla caritatis; quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient.
62, 5, 6 *καὶ μὴν καὶ τὰ χωρία ταῦτα ἡμῖν μὲν συνήθη καὶ σύμμαχα, ἐκείνοις δὲ δὴ ἄγνωστα καὶ πολέμια.*	Agr. 32 paucos numero, locorum trepidos ignorantia, caelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circum spectantes, clausos quodammodo ac vinctos di nobis tradiderunt.
62, 9, 1 *πολλάκις τοι τῶν νῦν παρόντων ἐλάττους ὄντες πολὺ πλείονας ἀντιπάλους καὶ ὑμεῖς αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες ὑμῶν ἐνίκησαν.*	Agr. 33 septimus annus est, commilitones, ex quo virtute et auspiciis imperii Romani fide atque opera vestra Britanniam vicistis.

Illa exempla exscripsisse sufficiat; praeterea confer Dio 62, 3: Agr. 30; 62, 4, 2: Agr. 10; 62, 9, 2; 62, 11, 3: Agr. 34. Ex eis, quae de urbis Romae incendio referuntur, haec praecipue adnotavi:

Cassius Dio	Tacitus
62, 17, 2 *πάντας δὲ τοὺς λοιποὺς ἑστῶτάς που ἐν ἀσφαλεῖ τινι ὁρᾶν, ὥσπερ νήσους*[1] *τινὰς καὶ πόλεις ἅμα πολλὰς φλεγομένας καὶ ἐπὶ μὲν τοῖς σφετέροις μηδὲν ἔτι λυπεῖσθαι, τὸ δὲ δημόσιον ὀδυρομένους ἀναμιμνήσκεσθαι, ὅτι καὶ πρότερόν ποτε οὕτως ὑπὸ τῶν Γαλατῶν τὸ πλεῖον τῆς πόλεως διεφθάρη.*	ann. 15, 41 domuum et insularum et templorum, quae amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit..... Fuere, qui adnotarent quartum decimum Kalendas Sextiles principium incendii huius ortum, quo et Senones captam urbem inflammaverint. cf. c. 43.
62, 18, 1 *καὶ τὴν σκευὴν τὴν κιθαρῳδικὴν λαβὼν ᾖσεν ἄλωσιν, ὡς μὲν αὐτὸς ἔλεγεν, Ἰλίου, ὡς δὲ ἑωρᾶτο, Ῥώμης.*	ann. 15, 39 pervaserat rumor, ipso tempore flagrantis urbis inisse eum domesticam scaenam et cecinisse Troianum excidium, praesentia mala vetustis gladibus adsimulantem.

In rebus, quae sub Galba gesta sunt, narrandis Dio potius Plutarchum, quam Tacitum inspexisse videtur, quoniam et in Pisonis adoptione et Othonis initiis commemorandis (Dio 64, 5) Plutarchum imitatum esse, et in caede huius imperatoris proponenda (Dio 64, 6), ut iam supra p. 3 exposuimus, Plutarchi errorem ex Taciti verbis commissum repetisse videtur. Verum haec exempla non praetermittenda esse duxi:

Dio 64, 1 (cf. Dio 57, 19) = ann. 6, 20 (Tiberii de Galba praesagium).

Dio 64, 3, 3 = hist. 1, 5 (Galbae dictum, legi a se militem, non emi).

---

[1]) Perversissime igitur Cassius Dio verbum: »insula« a Tacito metaphorico sensu adhibitum intellexit: conferas, quaeso, etiam locos supra p. 10 nota 3 exscriptos.

Ex Othonis regno haec adnotavi:

Dio 64, 9, 3 = hist. 2, 8 (de falso Nerone, quem Suetonius plane praeterit).

Dio 64, 10, 3 = hist. 2, 50 (de magna illa ave, quae tempore Bedriacensis proelii visa est).

Dio 64, 13, 1 et 3 = hist. 2, 47 (ex Othonis oratione).

Dio 64, 12; 14; 15 = hist. 2, 49 (quantopere milites Othonem dilexerint).

Dio 64, 15, 2 = hist. 2, 50 (ex morum Othonis descriptione).

Facere non possum, quin hos locos exscribam:

Cassius Dio	Tacitus
64, 13, 1 *νικάτω Οὐιτέλλιος, ἐπεὶ τοῦτο τοῖς θεοῖς ἔδοξεν, σωζέσθωσαν καὶ οἱ ἐκείνου στρατιῶται, ἐπεὶ τοῦτ' ἐμοὶ δοκεῖ.*	hist. 2, 47 fruetur Vitellius fratre coniuge liberis: mihi non ultione neque solaciis opus est.
64, 13, 3 *ἐγὼ δ' αὐτὸς ἐμαυτὸν ἐλευθερώσω, ὅπως καὶ τῷ ἔργῳ ἅπαντες ἄνθρωποι μάθωσιν, ὅτι τοιοῦτον αὐτοκράτορα εἵλεσθε, ὅστις οὐχ ὑμᾶς ὑπὲρ ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἑαυτὸν ὑπὲρ ὑμῶν δέδωκεν.*	hist. 2, 47 alii diutius imperium tenuerint, nemo tam fortiter reliquerit.
64, 15, 2 *κάκιστά γε μὴν ἀνθρώπων ζήσας κάλλιστα ἀπέθανεν, καὶ κακουργότατα τὴν ἀρχὴν ἁρπάσας ἄριστα αὐτῆς ἀπηλλάγη.*	hist. 2, 50 duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantundem apud posteros meruit bonae famae quantum malae.

Multi etiam ex Vitellio loci cum Taciteis comparandi sunt:

Dio 65, 1 = hist. 2, 59; 2, 70 (Vitellium locum pugnae Bedriacensis visitavisse).

Dio 65, 8 = hist. 2, 76 et 77; cf. 2, 83; 3, 75 (Vespasianum cum Muciano de regno occupando deliberavisse).

Dio 65, 9 = hist. 2, 78; 2, 82; 2, 86; 3, 3 (de Vespasiano, Muciano, Antonio Primo).

Dio 65, 10 = hist. 2, 100; 3, 13 et 14 (de Caecinae proditione).

Dio 65, 14 = hist. 3, 23; 3, 24; 3, 25; 3, 31 (de Cremonensi pugna).

Dio 65, 15 = hist. 3, 33 et 34 (de Cremonae urbis interitu).

Dio 65, 16 = hist. 3, 67 et 68 (de Vitellii pavore).

Dio 65, 17 = hist. 3, 69—74 (de Capitolio incenso).

Dio 65, 18 = hist. 3, 78—81 (Flavianos urbem Romam occupavisse).

Dio 65, 19 = hist. 3, 82; cf. 4, 1 (de militum crudelitate).

Dio 65, 20 et 21 = hist. 3, 84 et 85 (de Vitellii caede).

Dio 65, 22 = hist. 4, 2; 4, 80 (quomodo Vitellii frater et filius necati sint).[1])

---

[1]) Ex Vespasiani, Titi, Domitiani regnis, qualia a Tacito describuntur, Dio haec hausisse videtur:

Vesp.: Dio 66, 3 (cf. 66, 16) = hist. 4, 67 (de Julio Sabino eiusque uxore Epponina).

Dio 66, 5, 1 = Oros. 7, 9, 4 (in bello Judaico multos homines fuisse necatos).

Dio 66, 6 = Sulp. Sev. Chron. 2, 30, 6; Oros. 7, 9, 4 (Romanos diu deliberasse, num in Judaeorum templum irrumpant).

Dio 66, 12 = Aurel. Vict. Caes. 9, 4 (Vespasianum non dubitasse, quin filium successorem haberet).

Titus: Dio 66, 19, 1 (cf. 66, 18, 1) = Oros. 7, 9, 3; Auson. Titus; cf. hist. 2, 2; Aur. Vict. Epit. 10, 5 (Titum nullius sanguinem in re publica fudisse).

Dio 66, 20 = Tac. Agr. 10; Agr. 39 (quomodo Agricola in Britannia sese gesserit).

Florus et Justinus opera sua coloribus e Taciti libris depinxerunt. Atque Livii quidem epitomator num huius scriptoris verborum usum imitatus esset, diligentissime quaesivit Alfonsus Egen, [1]) qui non tam omnia inter eos similia, quam nimis multa exempla protulit. Itaque rebus, quae apud Egenium minus idonea exstare mihi visae essent, amotis, optime ab eo dicta de integro proponere ab hac dissertatione non alienum esse putavi, ut, quomodo Florus Tacito usus esset, manifestius et clarius illustraretur:

Tacitus	Florus
ann. 1, 7 habere imperium quam exspectare mallet.	1, 7, 2 regnum avitum rapere maluit quam exspectare.
ann. 1, 9 non aliud discordantis patriae remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur. cf. ann. 1, 12 unum esse rei publicae corpus atque unius animo regendum.	4, 3, 5 (Augustus) ordinavit imperii corpus, quod haud dubie nunquam coire et consentire potuisset, nisi unius praesidis nutu quasi anima et mente regeretur. (cf. Egen. p. 2).[2])
ann. 1, 10 extortum invito senatu consulatum.	1, 26, 4 honorum et magistratuum consortium quamvis invito senatui extorsit.
ann. 2, 52 Mazippa . . . . . terrorem circumferret.	2, 2, 21 Regulus cum terrorem nominis sui late circumtulisset.
ann. 4, 40 erumpere aemulationem; cf. 5, 11 discordia erumpit.	4, 2, 13 statim aemulatio erupit.
ann. 13, 37 circumferre bellum coactus; cf. ann. 1, 56 huc illuc ferens arma.	praef. 2; 3, 12, 1 arma circumtulit.
ann. 15, 59 nedum . . . . . arma contra cieret.	4, 5, 2 iterum arma cierat.
hist. 2, 38 vetus ac iam pridem insita mortalibus potentiae cupido cum imperii magnitudine adolevit erupitque.	2, 19, 2 crescentibus cum ipsa magnitudine imperii vitiis. Ceterum cf. Sall. Cat. 7.
ibid.: et in urbe ac foro temptamenta civilium bellorum.	3, 21, 1 et in urbe media ac foro cives cum civibus gladiatorio more concurrerent.
ibid.: et numquam postea nisi de principatu quaesitum.	4, 2, 14 sic de principatu laborabant, tamquam duos tanti imperii fortuna non caperet.[3])
hist. 2, 84 indulgentia fortunae; hist. 2, 99: fortunae indulgentia.	2, 14, 5 indulgente fortuna.
hist. 4, 38 ne victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates externis quoque bellis inexplebiles nulla umquam civilis victoria satiavit.	3, 23, 8 victores quoque, quod non temere alias in civilibus bellis, partis contenti fuerunt.

Dio 66, 26 = Aurel. Vict. Caes. 10, 3; cf. Oros. 7, 9. 15 (Dio Titum vel veneno, cf. Aurel. Vict., vel morbo, cf. Oros., absumptum esse narrat; fieri potest, ut et hoc et illud apud Tacitum exstiterit).

Domit.: Dio 67, 2 = Ammian. 18, 4. 5; cf. Suet. Dom. 7 (de Domitiani lege, ne castraret quisquam puerum).

Dio 67, 2 = Aur. Vict. Epit. 11, 2; Caes. 11, 3 (cf. Tac. ann. 1, 11) (de Domitiani simulatione).

Dio 67, 6 = Oros. 1, 16, 2, cf. 7, 34, 5 (Dacos etiam Getas nominari) (Ex Orosii 7, 10, 4 fide Dio 67. 6 et 7, cf. 10, e Tacito fluxisse suspicor).

[1]) A. Egen, De Floro historico, elocutionis Taciteae imitatore, Monasterii 1882. — [2]) Alia autem exempla, quae Egenius p. 2 et 3 ex annalibus profert, non e Tacito, sed e Livio fluxisse suspicor: cum ann. 3, 27; Flor. 3, 12, 8; 13—18 cf. Liv. epit. 58; 59; 60; 70. cf. ann. 3, 76; Flor. 4, 2, 89 (Liv. epit. 115); ann. 4, 72; Flor. 4, 12, 22. — [3]) Exempla autem hist. 2, 92: Flor. 4, 2, 8 (Egen. p. 3) non comprobo.

Tacitus	Florus
hist. 4, 64 redisse vos in corpus.	1, 3, 9 sed in suum corpus redisse rursus videretur.
dial. 28 ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta unius cuiusque natura.	3, 12, 2 dum sincera adhuc et innoxia pastoriae illius sectae integritas.[1]
Agr. 35 ingens victoriae decus.	3, 10, 20 maximum victoriae decus.
Accedunt hi loci:	
ann. 2, 52 disciplina et armis suesceret.	4, 12, 17 disciplina, armis etiam Romanis adsueverat.

Etiam in Justini libros quasdam locutiones Taciteas, praecipue ex annalibus, irrepsisse his exemplis a me collectis et ordine conscriptis demonstrare conabor:

Tacitus	Justinus
ann. 1, 1 urbem Romam a principio reges habuere.	1, 1 principio rerum gentium nationumque imperium penes reges erat.
ann. 1, 5 neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem reppererit.	11, 15, 6 Dareum multis quidem vulneribus, sed spirantem adhuc invenit.
ann. 1, 18 hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes; cf. ann. 1, 35 nudant universi corpora, cicatrices ex vulneribus, verberum notas exprobrant.	12, 8, 12 ostendere alius canitiem, alius vulnera, alius aetate consumpta corpora, alius cicatricibus exhausta.
ann. 2, 24 secundante vento.	26, 3, 4 secundante vento.
ann. 4, 8 effusum in lacrimas senatum.	1, 8, 9 dolorem in lacrimas effundere.
ann. 4, 23 incerta belli metuens.	38, 1, 8 incertum belli timens.
ann. 4, 67 in luxus et malum otium resoluti.	30, 1, 7 revolutus in luxuriam.
ann. 11, 30; 12, 8; 14, 61: genibus provolutus.	11, 9, 14 pedibus provolutus.
ann. 16, 18 revolutus ad vitia.	6, 9, 2 in segnitiam torporemque resoluti.
hist. 2, 76 quam inhonesta tam tuta servitus esset; cf. Agr. 30.	21, 5, 10 neque honesta, sed tuta consilia circumspiciebat.
hist. 3, 10 crudescere seditio.	8, 4, 4 crudescente ira.

Praeter illos rerum scriptores etiam eos, qui non fungebantur hoc munere, his temporibus Taciti libros lectos cognitosque habuisse Ptolemaeus et Lucianus nos docent, quibuscum Eumenium, Gallum oratorem, coniunxisse me non pigebit. Ptolemaeus igitur 2, 11, 27 ex verbis Taciti ann. 4, 73: »ad sua tutanda digressis rebellibus,« in septemtrionali Germaniae parte oppidum nomine *Σιατουτάνδα* fuisse concludit atque Lucianus, quomodo historia conscribenda sit cap. 60: »*καὶ μὴν καὶ μῦθος εἴ τις παρεμπέσοι, λεκτέος μέν, οὐ μὴν πιστωτέος πάντως, ἀλλ' ἐν μέσῳ θετέος τοῖς ὅπως ἂν ἐθέλωσιν εἰκάσωσιν περὶ αὐτοῦ*« Germaniae capitis tertii: »quae neque confirmare argumentis neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem« notitiam prodit. Denique Eumenius[1])

[1]) Rittèr p. XXX.

ad Agricolae caput 12 spectans in panegyrico ad Constantinum cap. 9 haec scripsit: »Certe quidem, propter quod vita diligitur, longissimae dies et nullae sine aliqua luce noctes, dum illa litorum extrema planities non attollit umbras, noctisque metam caeli et siderum transit adspectus, ut sol ipse, qui nobis videtur occidere, ibi appareat praeterire.« Sed fieri quoque potest, ut Eumenius hunc locum e Livio vel e Fabio Rustico sumpserit (cf. Tac. Agr. 10).

Quieta illa tempora Hadriani et successorum eius secutae sunt turbae imperatorum a praetorianis creatorum inde a Commodo usque ad Diocletianum. Tum Christiani primum literas capessiverunt, quorum, cum praeter libros sacros etiam Taciti operibus uti vellent, maxime intererat inspicere, quid scripserit ille in libris historiarum quinto et sexto de miserabili Hierosolymorum interitu vel quomodo in quinto decimo annalium libro Neronem, imperatorem crudelissimum, in Christianos saevientem fecerit. Atque Tertullianus quidem, primus scriptor ecclesiasticus, qui Taciti notitiam prodit, prima capita ex historiarum libro quinto laudat. In apologetici enim capite 16 eisdemque verbis in primi libri »ad nationes« capite 11 ex Taciti hist. 5, 3 et 5, 9 haec hausit: »Nam et, ut quidam, somniastis, caput asinium esse deum nostrum. Hanc Cornelius Tacitus suspicionem [eiusmodi dei][1]) insuerit. Is enim in quinta[2]) historiarum suarum bellum Judaicum exorsus ab origine gentis etiam de ipsa tam origine, quam de nomine et religione gentis, quae voluit, argumentatus, Judaeos refert, Aegypto expeditos, sive, ut putavit, extorres, vastis Arabiae in locis aquarum egentissimis, cum siti macerarentur, onagris, qui forte de pastu potum petituri aestimabantur, indicibus fontis usos ob eam gratiam consimilis bestiae superficiem consecrasse Atque ita inde praesumptum opinor, nos quoque ut Judaicae religionis propinquos eidem simulacro initiari. At enim idem Cornelius Tacitus, sane ille mendaciorum loquacissimus, in eadem historia (5, 9) refert, Cn. Pompeium, cum Hierusalem cepisset proptereaque templum adisset, speculandis Judaicae religionis arcanis, nullum illic repperisse simulacrum. Et utique, si id colebatur, quod aliqua effigie repraesentabatur, nusquam magis, quam in sacrario suo exhiberetur, eo magis, quia nec verebatur extraneos arbitros, quamquam vana cultura. Solis enim sacerdotibus adire licitum; etiam conspectus ceterorum velo oppanso interdicebatur.« Atque ad hist. 5, 2 et 5, 4 spectat eiusdem scriptoris ecclesiastici locus: ad nationes 2, 12: »Exstat apud litteras vestras usquequaquam Saturni census. Legimus apud Cassium Severum, apud Cornelios Nepotem et Tacitum, apud Graecos quoque Diodorum quive alii antiquitatum canos collegerunt.«

Verum tristissimis illis temporibus post Tertulliani mortem Taciti libri ita neglecti iacebant, ut Tacitus imperator, cum se unum e posteris eius esse iactaret, partem operum huius scriptoris in bibliothecis collocare iuberet.[3]) Sic ille quarto et quinto post Christum natum saeculis non modo apud historiarum scriptores, sed etiam apud grammaticos quosdam florebat vigebatque. Ammianus

---

[1]) Apologetici codices praebent »eiusmodi«, ab Oehlero adiecto »dei«, quod facile sane intercidere poterat, suppletum; ego tamen »eiusmodi« plane delendum esse censeo, quoniam loco »ad nationes« non exstat. — [2]) Apol. »quinta«, ad natt. »quarta.« — [3]) Confer Vopisc. Tac. 10, 3: »Cornelium Tacitum, scriptorem historiae Augustae, quod parentem suum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iussit. Ne lectorum incuria deperiret librum, per annos singulos decies scribi publicitus in evicosarchis iussit et bibliothecis poni.« Ceterum hoc quoque non praetereundum esse putavi. Hieronymum in Commentario ad Zachar. 3, 14 triginta volumina librorum Taciteorum hac ratione commemorare: »Haec omnia plenissime Josephus, qui Judaicam scripsit historiam et multo maiora, quam legimus in prophetis, eos sustinuisse commemorat; Cornelius quoque Tacitus, qui post Augustum usque ad mortem Domitiani vitas Caesarum triginta voluminibus exaravit.«

vero Marcellinus, qui omnium illorum Taciti imitatorum primus est appellandus, libros eius continuavit et inde a Nerva usque ad Valentis mortem perduxit (Amm. 31, 16, 9). Ille igitur non modo locutiones, sed etiam res multas ex auctore suo hausit, quin etiam in rebus scribendis easdem rationes iniit.[1]) Namque cum annuos consules commemorans annalium scriptorem se praebeat, a scriptoribus illis historiae Augustae, qui vitas Caesarum posteris tradiderunt, plane abhorret. Quid? hi cum nullo loco opera Tacitea respexisse videantur, Suetonium et Marium Maximum summis laudibus cumulant,[2]) ille non modo eos, qui Marium Maximum legunt, vituperat,[3]) sed etiam idem, quod Tacitus, de historia magni aestimanda censet.[4]) Accedit, quod Ammianus Taciti exemplum aemulatus imperatorum, quorum vitam absolvit, memoriam virtutibus et vitiis denuo propositis recolligit.[5])

Ut autem singula persequar, primum exempla, quae iam Woelfflinus[6]) et Waitzius[7]) attulerunt, locutionibus a me collectis supplere visum est:

Tacitus	Ammianus
hist. 1, 14; 1, 17; 2, 52; ann. 15, 72; 16, 22; Agr. 43; 44 vultu habituque.	30, 4, 11 vultus gravitate ad habitum composita tristiorem; cf. Heg. 2, 4, 14.
hist. 1, 39 exterritus Piso fremitu crebrescentis seditionis.	27, 3, 9 crebrescentis seditionis in maius.
hist. 1, 48 audax, callidus, promptus.	26, 10, 5 audaces et prompti.
hist. 2, 2 his ac talibus inter spem metumque iactatum spes vicit.	20, 11, 31 his ac talibus imperator inter spem metumque iactabatur; cf. 21, 13, 1: his ac talibus inter spem metumque nova negotia commovente.
hist. 2, 7; ann. 15, 68; Agr. 38 consilia miscere.	14, 11, 4; 18, 4, 1 consilia miscere.
hist. 2, 14 obscurum noctis; cf. Verg. Georg. 1, 478.	25, 2, 3 obscuro noctis.
hist. 2, 25 doli prudens.	30, 1, 5 doli iam prudens.
hist. 2, 37 linguis moribusque dissonos.	22, 8, 11 linguis et moribus dispares.
hist. 2, 38 nunc ad rerum ordinem redeo; ann. 12, 40 ad temporum ordinem redeo; verum confer Sall. Jug. 4 nunc ad inceptum redeo. (Tac. hist. 4, 33; Cic. Tusc. 1 § 23.)	23, 4, 15 nunc ad rerum ordinem revertamur; 27, 3, 15 nunc ad rerum ordines revertamur.
hist. 2, 83; 4, 21 ambiguus consilii.[7])	21, 13, 2 consiliorum ambiguus.[7])
hist. 3, 43 futuri ambiguus.[7])	27, 8, 5 futuri ambiguus.[7])
hist. 3, 2 acerrimus belli concitor.[8])	15, 7, 5 turbarum acerrimus concitor; cf. 21, 13, 12 turbarum acerrima concitatrix; 17, 9, 5 turbarum concitores.

[1]) Sic fit, ut Michaeli illa coniectura (confer: H. Michael, Die verlorenen Bücher des Ammianus Marcellinus. Breslau 1880), aliis quoque argumentis confirmata, Ammianum duo opera, annales et historias scripsisse, optime comprobetur. — [2]) Vopisc. Prob. 2; cf. Vopisc. Aurelian. 2. — [3]) Amm. 28, 4, 14. — [4]) Amm. 26, 1, 1; 27, 2, 11: Tac. ann. 13, 31. — [5]) Amm. 14, 11, 27 sq.; 21, 16; 25, 4; 25, 10, 14 sq.; 30, 7—9; 31, 14. — [6]) Woefflin, Philologus 29, 558. — [7]) Waitz, Philologus 36, 634. — [7]) Cf. Erdmann, Der Gebrauch der lateinischen Adiectiva mit dem Genitiv. p. 19. — [8]) Cod. Med. praebet: »concitor«; verum ex Ammiani loco Heraei, aliorum emendatio: »concitor« contra Halmii coniecturam: »concitator« confirmatur.

Tacitus	Ammianus
hist. 4, 68 acerrimo instinctore belli.	21, 12, 20 acerrimus belli instinctor; cf. 30, 1, 2 acer dissensionum instinctor.
hist. 3, 66 altiores spiritus gerere.	22, 8, 18 altiora spirabant; 23, 6, 7 alte spirantium.
hist. 3, 73 irrumpunt Vitelliani et cuncta sanguine, ferro flammisque miscent.	31, 8, 6 rapinis et caedibus sanguineque et incendiis et liberorum corporum corruptelis omnia foedissime permiscentes; cf. 31, 16, 1 miscentes cuncta populationibus et incendiis.
hist. 3, 76 non intuta moenium firmare.	31, 15, 6 moenium intuta firmata; cf. 16, 4, 2 murorum intuta parte firmata.
hist. 3, 82 ad serum usque diem.	31, 15, 14 ad serum usque diem.
hist. 3, 83 exsultabant, fruebantur nulla partium cura, malis publicis laeti.	23, 3, 7 exultans pernoctavit et laetus.
hist. 4, 47 summaque et ima miscere.	28, 1, 15 imis summa miscente; cf. Heg. 1, 20, 3.
ann. 1, 1 omnia discordiis civilibus fessa.	14, 11, 8 discordiis civilibus formidabant.
ann. 1, 2 tuta et praesentia, quam vetera et periculosa malle.	26, 7, 1 omnia tutiora praesentibus rati.
ann. 1, 5 spirantem adhuc Augustum.	31, 7, 2 adhuc spirantibus barbaris; cf. Suet. Tib. 21; Just. 11, 15, 6.
ann. 1, 16 hic rerum urbanarum status erat.	28, 1, 57 is urbanarum rerum status, ut ita dixerim, fuit.
ann. 1, 17 uligines paludum.	27, 10, 11 palustres uligines.
ann. 1, 47 immotum adversus eos sermones fixumque Tiberio fuit; cf. Verg. Aen. 4, 15 fixum immotumque.	19, 12, 2 obstinatum fixumque propositum.
ann. 1, 61 occulta saltuum.	29, 6, 16 silvarum occulta.
ann. 1, 61 medio campi albentia ossa.	31, 7, 16 albentes ossibus campi.
ann. 1, 68 avia saltuum.	19, 8, 7 per avia saltusque.
ann. 1, 51 ferro flammisque pervastare; cf. hist. 3, 73 ferro flammisque miscere;[1]) cf. 14, 38 igni atque ferro.	17, 1, 4 ferro violare et flammis; cf. 20, 6, 7 ferro certatur et ignibus 28, 1, 29 igni vel ferro.
ann. 2, 6; Germ. 1 Rhenus Oceano miscetur.	23, 6, 11 pelago miscetur Euphrates.
ann. 3, 2 viam complevere disiecti et, ut cuique libitum, flentes.	25, 9, 6 exin variae complentur viae, qua quisque poterat, dilabentium.
ann. 3, 5 asperrimo hiemis.	19, 11, 4 hiemis durissimo; cf. Heg. 3, 19, 2.
ann. 3, 43; 6, 33 more gentico.	24, 4, 23 ex usu moris gentici.
ann. 3, 55 cultu victuque.	23, 6, 49; 27, 12, 9; 31, 2, 21 victu et cultu.

[1]) Cf. Woelfflin, Die alliterirenden Verbindungen der lateinischen Sprache, p. 55.

Tacitus	Ammianus
ann. 4, 8 effusum in lacrimas senatum.	25, 5, 6 in lacrimas effusi sunt omnes et luctum; cf. Just. 1, 8, 9.
ann. 13, 38 vergente iam die; ann. 11, 4 autumno vergente.	17, 13, 8; 22, 13, 5 vergente in vesperam die; cf. 31, 10, 13 vergente in meridiem die; 23, 5, 12 sole vergente iam in occasum; 31, 8, 2 anno in autumnum vergente; 31, 10, 1 autumno vergente in hiemem.
ann. 14, 2 cum Nero per vinum et epulas incalesceret.	30, 1, 20 iam vino incaliscente.
ann. 15, 28 dextras miscere.	16, 12, 37 dexterae dexteris miscebantur.
ann. 15, 44 laniatu canum interirent.	19, 5, 6 laniatis corporibus interibant.
ann. 16, 18 revolutus ad vitia.	24, 3, 6 ad seditionum revoluti dedecora.
Agr. 26 mutato repente consilio.	14, 10, 11 mutato repente consilio; cf. 29, 2, 23 mutata repente persona.
Agr. 30 proelium et arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt; hist. 2, 76 quam inhonesta tam tuta servitus esset.	28, 1, 35 honestum et tutum; cf. Just. 21, 5, 10.
Agr. 40 exceptus brevi osculo.	22, 9, 13 osculo susceptus: cf. 29, 5, 16 susceptus cum osculo; 22, 7, 3 exosculatum susceptumque.
Agr. 44 non iam per intervalla et spiramenta temporum.	29, 1, 40 sine spiramento vel mora; cf. 14, 7, 15 sine spiramento ullo.

Praeterea multae res in Ammiani annales ex Taciti libris irrepserunt. Ille enim cum 15, 8, 4 Julianum a Constantio et 27, 6, 5 Gratianum a Valentiniano in societatem regni acceptos esse fingeret, ad Pisonis adoptionem (hist. 1, 15 sq.) atque cum Julianum apud Parthos morientem faceret (25, 3, 19 sq.) ad Othonis exitum (hist. 2, 47 sq.) spectavit:

Tacitus	Ammianus
hist. 1, 15 igitur Galba apprehensa Pisonis manu in hunc modum locutus fertur.	15, 8, 4 Augustus (scil. Constantius) inscendens eumque (Julianum) manu retinens dextera haec sermone placido peroravit.
	27, 6, 5 (Valentianus) dextra puerum (Gratianum) adprehensum.
hist. 1, 16 (ex Galbae oratione) monere diutius neque temporis huius et impletum est omne consilium, si te bene elegi.	27, 6, 13 (ex Valentiniani oratione) haec pro tempore praecepisse sufficiet, cetera monere non desinam.
hist. 2, 47 (ex Othonis oratione) alii diutius imperium tenuerint, nemo tam fortiter reliquerit.	25, 3, 19 (ex Juliani oratione) aequo enim iudicio iuxta timidus est et ignavus, qui, cum non oportet, mori desiderat, et qui refugiat, cum sit oportunum.

Tacitus	Ammianus
ibid.: plura de extremis loqui pars ignaviae est.	25, 3, 20 hactenus loqui vigore virium labente sufficiet.
2, 48 intempestivas suorum lacrimas coercens.	25, 3, 22 et flentes inter haec omnes, qui aderant, auctoritate integra etiam tum increpabat.
2, 49 vesperascente die sitim haustu gelidae aquae sedavit.	25, 3, 23 epota gelida aqua, quam petit medio noctis horrore.
ibid.: hunc vitae finem habuit septimo et tricesimo aetatis anno.	ibid.: vita facilius est absolutus anno aetatis altero et tricensimo.
2, 50 origo illi e municipio Ferentino.	ibid.: natus apud Constantinopolim.
Ex historiis haec quoque hausit:	
hist. 2, 2 haud fuerit longum, initia religionis, templi ritum, formam deae .... paucis disserere.	16, 10, 17 ut in maximo circo erigeret obeliscum, cuius originem formamque loco competenti (17, 4, 7) monstrabo.
hist. 2, 3 simulacrum deae non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metae modo exsurgens, sed ratio in obscuro.	17, 4, 7 est autem obeliscus asperrimus lapis in figuram metae cuiusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam; cf. Boccat. Genealogia Deorum 3, 23.

In externarum autem nationum moribus describendis Ammianus res ex libello de Germania haustas ad illas transferre solet; sic ex Germania sumpsit:[1])

Tacitus	Ammianus
Germ. 1 Danuvius ..... pluris populos adit.	27, 4, 6 Hister, qua Romanum cespitem lambit, urbibus multis et castris contiguus et castellis.
Germ. 1 Oceanus ..... latos sinus et insularum immensa spatia complectens... Rhenus .... miscetur .... Danuvius ..... sex meatibus erumpat.	17, 13, 4 Parthiscus obliquatis meatibus Histro miscetur, sed dum solus licentius fluit, spatia longa et lata sensim praeterlabens.
Germ. 1 Rhenus, Raeticarum Alpium... vertice ortus..... Danuvius..... donec in ponticum mare sex meatibus erumpat, septimum os paludibus hauritur; cf. Plin. nat. hist. 4, 24 ex adverso Raurici Galliae oppidi e. q. s.	22, 8, 44 amnis vero Danubius oriens prope Rauracos monte confine limitibus Raeticis per latiorem orbem praetentus ac sexaginta navigabilis paene omnes recipiens fluvios, septem ostiis per hoc Scythicum latus erumpit in mare.
Germ. 18 (de Germanis) dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert..... in haec munera uxor accipitur, atque invicem ipsa armorum aliquid marito affert.	14, 4, 4 (de Saracenis) dotis nomine futura coniunx hastam et tabernaculum offert marito.

[1]) Woelfflinus l. l. haec exempla iam attulit: Germ. 9 = Amm. 22, 8, 34 et Germ. 23 = Amm. 15, 12. 4.

Tacitus	Ammianus
Germ. 22 crebrae, ut inter vinolentes, rixae raro conviciis, saepius caede et vulneribus transiguntur.	27, 4, 9 Odrysae, ita humanum fundere sanguinem adsueti, ut, cum hostium copia non daretur, ipsi inter epulas post cibi satietatem et potus suis velut alienis corporibus imprimerent ferrum; cf. Donizo, Mon. Germ. 14, 390.

Denique ea, quae Amm. 23, 6, 88 narrat, ex Agr. 12 hausta esse admodum probabile est (verum confer Plin. n. h. 9, 35).

His vero locis Ammianus ad tempora in annalium et historiarum libris deperditis tractata spectat, quos quoniam fragmenta Tacitea nobis praebere videntur, Amm. 14, 11, 28, quo loco Vespasianus, Titus, Domitianus, 16, 1, 3, quo Titus, 21, 16, 8, quo Caligula et Domitianus commemorantur, omissis, brevi conspectu proponam:

1. Amm. 14, 8, 2 Et hanc (scil. Isauriam) quidem praeter oppida multa duae civitates exornant: Seleucia, opus Seleuci regis, et Claudiopolis, quam eduxit coloniam Claudius Caesar.[1])

2. Amm. 15, 2, 5 ut nocte ventura procul a conspectu militarium raptus Ursicinus indemnatus occideretur, ut quondam Domitius Corbulo dicitur caesus in conluvie illa Neroniani saeculi, provinciarum fidus defensor et cautus.[2]) Confer 29, 5, 4 Domitii Corbulonis et Lusii veterum simillimi, quorum prior sub Nerone, alter Traiano rem regente Romanam pluribus inclaruere fortibus factis.

3. Amm. 23, 1, 2 (Julianus) ambitiosum quondam apud Hierosolyma templum, quod post multa et interneciva certamina obsidente Vespasiano posteaque Tito aegre est expugnatum, instaurare cogitabat.[3])

4. Amm. 18, 4, 5 Horum et similium taedio iuvat veterem laudare Domitianum, qui licet patris fratrisque dissimilis memoriam nominis sui inexpiabili detestatione perfudit, tamen receptissima inclaruit lege, qua minaciter interdixerat, ne intra terminos iuris dictionis Romanae castraret quisquam puerum.[4])

5. Amm. 15, 5, 35 eo more, quo semper oderat fortiter facientes, ut quondam Domitianus.[5])

Aurelium quoque Victorem, cuius de imperatorum Romanorum rebus gestis opera excerpta in Caesaribus atque in Epitome memoriae tradita sunt, Tacito auctore usum esse Woelfflinus[6])

---

[1]) Sane Ammianus in omnibus rebus, quas 14, 8, 1—15 tractat, non uno eodemque fonte geographico usus esse (cf. Gardthausen, Die geographischen Quellen Ammians. Fleckeisen's Jahrbb., 6. Supplementband, p. 512 sqq.), sed praeter commentarium provincias imperii Romani continens etiam Rufii Festi breviarium de rebus populi Romani gestis inspexisse videtur (Mommsen, Ammian's Geographica, Hermes 16, 605 sqq.). Verum cum neque Rufius Festus nomen Claudiopolis oppidi ullo loco praebeat, neque in commentario illo quidquam, nisi oppidorum nomina, exstet (cf. Mommsen. l. l. p. 610), fieri potest, ut Ammianus ea, quae de huius oppidi origine disserit (»Claudiopolis, quam eduxit coloniam Claudius Caesar«), ex Taciti libris commemoraverit. — [2]) Confer Dio 63. 17: Tac. hist. 2, 76 »an excidit trucidatus Corbulo?« Tac. ann. 11. 18 »Corbulo magna cum cura et mox gloria.« Suetonius Corbulonem plane silentio praeterit. Cf. Tac. ann. 14, 15. quo loco de Nerone legitur: »nec ulla moribus olim corruptis plus libidinum circumdedit, quam illa colluvies.« — [3]) Cf. Oros. 7, 9; Sulp. Sev. Chron. 2, 30. — [4]) Cf. Dio 67, 2: »*Καὶ διὰ τοῦτο, καίπερ καὶ αὐτὸς Ἑαρίνου τινὸς εὐνούχου ἐρῶν, ὅμως, ἐπειδὴ καὶ ὁ Τίτος ἰσχυρῶς περὶ τοὺς ἐκτομίας ἐσπουδάκει, ἀπηγόρευσεν ἐπὶ ἐκείνου ὕβρει μηδένα ἔτι ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων ἀρχῇ ἐκτέμνεσθαι.*« Verum Suetonius Dom. 7 hanc rem paucis ita absolvit: »castrari mares vetuit.« — [5]) Cf. Agr. 41: »(Domitianus) infensus virtutibus princeps.» — [6]) Woelfflin, Rhein. Mus. 29, 302.

recte monuit, quamvis iam Opitzius[1]) multas res, quas duorum scriptorum communes esse cognovit, uni eidemque eorum fonti vindicare conatus esset. Verum eis, quae viri illi docti collegerunt, exemplis haec adiciam.

Atque quoniam Woelfflinus omnia, quae ad Augusti regnum pertinent, proposuit, ad Tiberium transeo:

Aurelius Victor	Tacitus
Epit. 2, 3 (Tiberius) satis prudens in armis satisque fortunatus ante sumptum imperium sub Augusto fuit.	ann. 6, 51 (Tiberium) egregium vita famaque, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit.
Epit. 2, 4 eloquio clarior, sed ingenio pessimo, truci, avaro, insidioso, simulans ea se velle, quae nollet: his vero, quos oderat, quasi benevolus apparens.	ann. 1, 11 plus in oratione tali dignitatis quam fidei erat, Tiberioque etiam in rebus, quas non occuleret, suspensa semper et obscura verba, tunc vero nitenti, ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur.
Epit. 2, 7 aestimantes eum .... imperialis molestiae magnitudinem declinare; cf. Caes. 9, 3 quanta moles molestiaque imperio inesset.	ann. 1, 11 solam divi Augusti mentem tantae moli capacem.

Ex eis, quae Aurelius Victor de Caligula disserit, verba Caes. 3, 4: »qua causa nitebantur omnes casum tantae familiae leniri adulescentuli (scil. Caligulae) spe« cum eo congruunt, quod Tacitus Germanici liberos multum populi gratia floruisse saepissime indicat. Praeterea, quae Caes. 3, 14—20 (confer Epit. 4, 1 et 2) de Claudio imperatore creato referuntur, ex illo fonte derivata esse ex his locis inter se comparatis suspicatus sum:

Aurelius Victor	Tacitus
Caes. 3, 17 quin etiam militares plebisque animos conciliaverat.	ann. 4, 2 irrepere paullatim militares animos.
Caes. 3, 20 ita Romae regia potestas firmata proditumque apertius, mortalium conatus vacuos a fortuna cassosque esse.	hist. 1, 3 nec enim umquam atrocioribus populi Romani cladibus magisve iustis indiciis adprobatum est, non esse curae deis securitatem nostram, esse ultionem.

Ut in Claudii regno tractando locos iam supra cum Cassio Dione comparatos (Caes. 4, 2; Epit. 4, 5 = Dio 60, 9; Caes. 4, 2 = Dio 60, 21, 3) omittam, restat, ut haec quoque exempla proferam:

Aurelius Victor	Tacitus
Caes. 4, 14; Epit. 4, 10 Visus apud Aegyptum Phoenix, quem volucrem ferunt anno quingentesimo ex Arabis memoratos locos advolare.	ann. 6, 28 .... avis phoenix in Aegyptum venit .... de numero annorum varia traduntur; maxime vulgatum quingentorum spatium.

In Neronis vita Caes. 5, 8 Aurelius Victor, cum se multos scriptores ad res narrandas inspexisse fingeret, Tacitum hac ratione exscripsisse videtur:

[1]) Opitz, Acta societ. phil. Lips. 2, 199.

Aurelius Victor

Caes. 5, 8 atque inter haec matrem etiam contaminavisse plures habent; dum ea quoque dominandi ardore scelere quolibet subici filium cupit. Id ego, quamquam scriptoribus diversa firmantibus, verum puto. Namque ubi mentem invaserint vitia, nequaquam verecundiae externis societate humanius datur peccandi consuetudo, nova et eo dulciora affectans, ad extremum in suos agens.

Tacitus

ann. 14, 2 Tradit Cluvius, ardore retinendae Agrippinam potentiae eo usque provectam, ut .... offerret se saepius temulento comptam et incesto paratam .... Fabius Rusticus non Agrippinae, sed Neroni cupitum id memorat eiusdemque libertae (scil. Actes) astu disiectum. Sed quae Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere et fama huc inclinat, seu concepit animo tantum immanitatis Agrippina, seu credibilior novae libidinis meditatio in ea visa est.

Neronis autem mortem eodem modo, quo Cassius Dio, in lucem profert:

Aur. Vict. Epit. 5, 7 desertus undique, noctis medio egressus urbem, sequentibus Phaone Epaphrodito, Neophytoque et spadone Sporo,[1]) quem quondam exsectum formare in mulierem tentaverat, semet ictu gladii transegit, adiuvante trepidantem manum impuro, de quo diximus, eunucho:

Dio 63, 27, 3 *ἐσθῆτά τε οὖν φαύλην ἐλαβε καὶ ἐπὶ ἵππον οὐδὲν βελτίονα ἀνέβη, καὶ ἐπ' αὐτοῦ κατακεκαλυμμένος πρὸς χωρίον τι Φάωνος Καισαρείου, μετά τε ἐκείνου καὶ μετὰ Ἐπαφροδίτου τοῦ τε Σπόρου, νυκτὸς ἐπιούσης ἤλασεν.*

cum sane prius nullo reperto, a quo feriretur, exclamaret: »Itane nec amicum habeo, nec inimicum? dedecorose vixi, turpius peream.«[2])

Dio 63, 29, 2 *ἐπεί τε οὐχ ὑπήκουσαν, ἀνεστέναξέ τε καὶ ἔφη· »ἐγὼ μόνος οὔτε φίλον οὔτε ἐχθρὸν ἔχω.«*[2])

Aur. Vict. Caes. 5, 17 Hic finis Caesarum genti fuit, quem fore prodigiorum multa[3]) denunciavere, praecipueque eorum praediis arescens lauri nemus dicatum triumphantibus, atque interitus gallinarum, quae adeo multae albaeque, aptiores erant religionibus, ut iis Romae habeatur hodie locus.

Dio 63, 29, 3 *ἐβίω δὲ ἔτη τριάκοντα καὶ μῆνας ἐννέα, ἀφ' ὧν ἦρξεν ἔτη δεκατρία καὶ μῆνας ὀκτώ, ἔσχατος τῶν ἀπὸ τοῦ Αἰνείου*[4]) *καὶ ἀπὸ τοῦ Ἰούστου γεγονότων, καθάπερ που σαφῶς καὶ αἱ δάφναι αἱ ὑπὸ τῆς Λιουίας φυτευθεῖσαι τό τε γένος τῶν λευκῶν ὀρνίθων προδιαφθαρέντα αὐτοῦ ἐσήμανεν.*

Ex rebus sub Galba, Othone, Vitellio gestis narrandis eis, quae iam inter viros doctos nota sunt, haec addam:

Epit. 7, 1 Salvius Otho, splendidis ortus maioribus, ex oppido Ferentano, imperavit menses tres, vita omni turpis, maxime adulescentia.

hist. 2, 50 Origo illi e municipio Ferentino, pater consularis, avus praetorius, maternum genus impar, nec tamen indecorum, pueritia ac iuventa, qualem monstravimus.

[1]) Cf. Suet. Ner. 48: »quattuor solis comitantibus, inter quos et Sporus erat«. — [2]) Illa sententia apud Suet. Ner. 49 non exstat. — [3]) Othonis quidem vitam Tacitus hist. 2. 50 cum prodigio concludit. — [4]) Cf. Anson. Caes.: Nero.

Epit. 8, 3 a cuius (scil. Vespasiani) militibus, certamine sub muris urbis habito, superatus, eo palatio, quo se abdiderat Vitellius, vinctis a tergo manibus, productus, circumducitur ad spectaculum vulgi.

Epit. 8, 4 per scalas Gemonias trahitur, ubi Sabinum, Vespasiani fratrem, necari permiserat.

hist. 3, 84 in palatium regreditur ..... ab Julio Placido tribuno cohortis protrahitur, vinctae pone tergum manus; laniata veste, foedum spetaculum ducebatur, multis increpantibus nullo illacrimante.

hist. 3, 85 postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini iacuerat, propulere.

Cum Flaviorum regna inspicerem, haec e Tacito hausta esse mihi persuasi:

Aurelius Victor	Tacitus
Caes. 9, 1 facundiae haud egens (scil. Vespasianus) promendis, quae senserat.	hist. 2, 80 (Vespasianus) concurrentes .... adloquitur, satis decorus etiam Graeca facundia omniumque, quae diceret atque ageret, arte quadam ostentator.
Caes. 9, 1 (Vespasianus) exsanguem diu fessumque terrarum orbem brevi refecit.	cf. dial. 17 ac sextam iam felicis huius principatus stationem, qua Vespasianus rem publicam fovet; cf. Oros. 7, 9, 1 tranquilla serenitas sub Vespasiano rediit.
Caes. 9, 2; Epit. 9, 5 namque primum satellites tyrannidis, nisi qui forte atrocius longius processerant, flectere potius maluit, quam excruciatos delere.	hist. 2, 82 ipse Vespasianus adire, hortari, bonos laude, segnes exemplo incitare saepius, quam coërcere, vitia magis amicorum, quam virtutes dissimulans.
Epit. 10, 5 (de Tito) sed haec in melius conversa.	hist. 2, 2 (Titus) suo, quam patris imperio moderatior; cf. hist. 1, 50 (de Vespasiano) in melius mutatus est.
Caes. 11, 3; Epit. 11, 2 sed Domitianus primo clementiam simulans.	cf. Dio 67, 2, 5 *αὐτός τε γὰρ καὶ φιλεῖν τὸν ἀδελφὸν καὶ πενθεῖν προσεποιεῖτο.*

Denique Woelfflini coniectura, Titi mortem Caes. 10, 5 »lautusque veneno interiit« ad Tacitum spectare optime eo comprobatur, quod apud Dionem 66, 26, 2 legimus: *»μετέλλαξεν ἐν τοῖς ὕδασιν;*[1]) *ἐν οἷς καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ, ὡς μὲν ἡ φήμη λέγει, πρὸς τοῦ ἀδελφοῦ ἀναλωθείς, ὅτι καὶ πρότερον ἐπεβούλευτο ὑπ' αὐτοῦ, ὡς δέ τινες γράφουσι, νοσήσας.«*

Hegesippus ille, Josephi, Judaicarum rerum scriptoris, Latinus interpres, has locutiones cum Tacito communes praebet:

Tacitus	Hegesippus
hist. 1, 14; 1, 17; 2, 52; ann. 15, 72; 16, 12; Agr. 43; 44: vultu habituque.	2, 4, 14 vultu habituque; cf. Amm. 30, 4, 11.
hist. 1, 44 ad praesens in posterum.	1, 38, 8 ad praesens in reliquum.
hist. 1, 49 hunc exitum habuit Servius Galba.	1, 46, 27 hunc finem habuit Herodes.

[1]) Cf. Suet. Tit. 11: »excessit in eadem, qua pater, villa« et Aur. Vict. Epit. 10, 15: »in eodem, quo pater, apud Sabinos agro febri interiit.

Tacitus	Hegesippus
hist. 1, 52 modesti quietique.	4, 22, 7 quieti et modesti.
hist. 1, 53 immodicus animi; cf. Sall. hist. 1, 114 D.	1, 15, 24; 4, 22, 12; 5, 19, 2 immodicus animi.
hist. 1, 87 bellorum insolens.	4, 4, 12 bellorum insolens.
hist. 2, 86 facem belli praeferre.	2, 13, 103 facem belli efferre.
hist. 3, 13 sternunt funduntque.	1, 32, 38 sternunt funduntque.
hist. 3, 44 insitus[1]) erga Vespasianum favor.	1, 25, 1 ex insita in Caesarem benivolentia.
hist. 3, 56 improvidus consilii.	2, 9, 1 improvidus consulendi.
hist. 3, 82 angustiora viarum.	5, 27, 13 angustiora viarum.
hist. 4, 47 summaque et ima miscere.	1, 20, 3 ima summis miscere;[2]) cf. Amm. 28, 1, 15.
hist. 5, 11 proelia serere.	2, 8, 2 proelia de proeliis serere; cf. 3, 25, 13 tumultus serere; cf. Jordanis, de reb. Get. 36, 185.
ann. 1, 38 intutae latebrae.	5, 17, 7 intuta refugia.
ann. 3, 5 asperrimo hiemis.	3, 19, 2 aspero hiemis; cf. Amm. 19, 11, 4.
ann. 4, 23 incerta belli.	1, 1, 4 incerta bellorum.
cf. hist. 2, 77 belli ac proeliorum incerta.	cf. Justin. 38, 1.
ann. 5, 10 angustias evadere.	4, 27, 27 angustias evadere.
ann. 6, 10 ne feminae quidem exsortes periculi.	5, 8, 5 ne sic quidem Judaei exsortes erant praesentium periculorum.
ann. 6, 24 diras imprecari; cf. Plin. nat. hist. 8, 7, 3; Tibull. 2, 6, 17.	1, 37, 7; 5, 40, 6 dira imprecari; cf. 3, 13, 23 saeva imprecari.
ann. 14, 27 infrequentia locorum.	1, 44, 44 frequentia locorum.
ann. 14, 51 tumescentibus paulatim faucibus et impedito meatu spiritum finiebat.	5, 24, 13 faucium meatibus strangulabantur; cf. Jord. de reb. Get. 49, 254.
ann. 16, 32 in amplexum ruere.	1, 44, 50 in amplexum ruere, cf. 2, 4, 14 in oscula ruere.
dial. 13 sollicitudinibus et curis.	1, 1, 17; 1, 44, 33 cura ac sollicitudo.
dial. 22 in morem annalium componere.	prol. 3 historiae in morem componere.

Praeterea nonnullis locis Hegesippus Josephi verbis alia e Taciti libris hausta adiecit:

Josephus	Hegesippus	Tacitus
	2, 9, 173 nam si verum quaeramus . . . terra ipsa infra Romanorum imperium est, supra quam progressa Romana virtus ultra oceanum alterum sibi or-	
bell. Jud. 2, 16, 4 *ἀλλ' ὑπὲρ ὠκεανὸν ἑτέραν ἐζήτησαν οἰκουμένην καὶ μέχρι τῶν ἀνιστο-*		

[1]) Cod. Med. praebet: »inditus«; recte Ernestius: »insitus«, ut ex Hegesippi loco elucet. — [2]) Cf. Woelfflin, Rhein. Mus. 29, 287.

Josephus	Hegesippus	Tacitus
ρήτων πρότερον Βρεττανῶν διήνεγκαν τὰ ὅπλα. Τί οὖν ὑμεῖς, πλουσιώτεροι Γαλατῶν e. q. s.	bem quaesivit et in Brittania remota a confinio terrarum novam sibi invenit possessionem . . . . . cessit Oceanus finibus suis, novit Romanus interiora eius petere secreta. Cf. Heges. 5, 15, 22 secreta oceani; 5, 46, 62 maris secreta.	Agr. 25 cum . . . . . hinc terra et hostis, hinc victus Oceanus militari iactantia compararentur. Britannos quoque. . . . . visa classis obstupefaciebat, tamquam aperto maris sui secreto ultimum victis perfugium clauderetur.
bell. Jud. 3, 3, 3 *τὸ πλεῖστον δὲ εἰς ἐλαίαν τε καὶ ἄμπελον καὶ φοινικῶνας ἤσκηται, διαρδομένη χειμάρροις τε τοῖς ἀπὸ τῶν ὀρῶν καὶ πηγαῖς ἀενάοις ἄλις, εἴ ποτε ἐκεῖνοι σειρῷ φθίνοιεν.*	3, 6, 37 nec mirum, si omnis illic gratia viriditatis est, ubi amoenis fluviorum meatibus, ex superiore decurrentium iugo montium, superfusus ager rigatur.	Germ. 1 Danuvius molli et clementer edito montis Abnobae iugo effusus . . . . . donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat.
bell. Jud. 3, 10, 7 (*Ἰορδάνης*) *διεκτέμνει τὴν Γεννησὰρ μέσην, ἔπειτα πολλὴν ἀναμετρούμενος ἐρημίαν εἰς τὴν Ἀσφαλτῖτιν ἔξεισι λίμνην.* 8. *Παρατείνει δὲ τὴν Γεννησὰρ ὁμώνυμος χῶρα* e. q. s.	3, 26, 32 postea (Jordanes) lacum istum, qui Genesar dicitur, medio transit fluento, quibus ex locis plurima supervagatus deserta Asphaltide suscipitur lacu atque in eum conditur. Itaque duos lacus victor egressus in tertio haeret.[1]) Praetendit autem regio Genesar eiusdem nominis lacum e. q. s.	hist. 5, 6 nec Jordanes pelago accipitur, sed unum atque alterum lacum integer perfluit, tertio retinetur.
bell. Jud. 4, 8, 4 *ἄξιον δὲ ἀφηγήσασθαι καὶ τὴν φύσιν τῆς Ἀσφαλτίτιδος λίμνης, ἥτις ἐστὶ πικρὰ μέν, ὡς ἔφην, καὶ ἄγονος, ὑπὸ δὲ κουφότητος καὶ τὰ βαρύτατα τῶν εἰς αὐτὴν ῥιφέντων ἀναφέρει, καταδῦναι δὲ εἰς τὸν βυθὸν οὐδὲ ἐπιτηδείσαντα ῥᾴδιον. Ἀφικόμενος γοῦν* e. q. s.	4, 18, 9 sed iam naturam sive qualitatem aquarum exprimamus, ne noster quoque in eo lacu excutiatur stilus, ex quo omnia, quaecumque mergenda putaveris viventia, tamen resilire opinio est et quamvis vehementer inlisa statim excuti, aqua ipsa amara et sterilis, nihil recipiens generum viventium, denique neque pisces, neque assuetas aquis et laetas mergendi usu patitur aves.	hist. 5, 6 neque vento impellitur neque pisces aut suetas aquis volucres patitur.

[1]) Cf. Vogel, De Hegesippo, Josephi interprete, p. 50.

Ex Gallia autem et Hispania praecipue Orosius et Sulpicius Severus commemorandi sunt, quorum uterque legem huius dissertationis p. 17 de Christianis scriptoribus propositam bene comprobat. Sulpicium igitur in Chronicis annalium libri quinti decimi notitiam prodere, iam Jacobus Bernaysius[1]) recte monuit, cum legentium animos ad Neronem simili modo ab utroque scriptore tractatum adverteret:

Sulp. Sev. Chron. 2, 28, 2

..... post etiam Pythagorae cuidam in modum solennium coniugiorum nuberet; inditumque imperatori flammeum, dos et genialis thorus et faces nuptiales, cuncta denique, quae vel in feminis non sine verecundia conspiciuntur, spectata.

Sulp. Sev. Chron. 2, 29, 1 — 3 Sed opinio omnium invidiam incendii in principem retorquebat credebaturque imperator gloriam innovandae urbis quaesivisse. Neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo iussum incendium putaretur. Igitur vertit invidiam in Christianos actaeque in innoxios crudelissimae quaestiones, quin et novae mortes excogitatae, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent. Multi crucibus affixi aut flamma usti. Plerique in id reservati, ut, cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.

Tac. ann. 15, 37

..... nisi paucos post dies uni ex illo contaminatorum grege (nomen Pythagorae fuit) in modum sollemnium coniugiorum denupsisset. Inditum imperatori flammeum, missi auspices; dos et genialis torus et faces nuptiales, cuncta denique spectata, quae etiam in femina nox operit.

Tac. ann. 15, 40 et 44 (cap. 40): Plusque infamiae id incendium habuit, quia praediis Tigellini Aemilianis proruperat videbaturque Nero condendae urbis novae et cognomento suo appellandae gloriam quaerere. (cap. 44): Igitur primum correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent [aut crucibus affixi aut flamma usti][2]) atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.

Alium praeterea locum Chron. 2, 30, 6, quo Sulpicius consilium Titi de evertendo Hierosolymorum templo longe aliter, quam Josephus (bell. Jud. 6, 4, 3) narrat, ex historiarum libro sexto nobis perdito fluxisse Bernaysius iudicat. Quae coniectura hac de causa mihi quidem comprobanda esse videtur. Nam si ea, quae Orosius (7, 9, 5) de incendio delubri Judaeorum refert, cum Sulpicii testimonio compares, facile cognoscas, illum, cum Titi consilium paucis verbis sic aperit: »(Titus) diu deliberavit, utrum (templum) tamquam incitamentum hostium incenderet an in testimonium victoriae[3]) reservaret,« nihil aliud significare, nisi quod Sulpicius copiosius hunc in modum expo-

[1]) J. Bernays, Ueber die Chronik des Sulpicius Severus. Breslau 1861, p. 48—61.

[2]) Perverse cod. Med.: »laniatu canum interirent aut crucibus affixi aut flammandi, atque ubi defecisset dies e. q. s.« Nipperdeius verba: »crucibus affixi aut flammandi atque,« quae ex glossemate in textum irrepsisse contendit, uncis inclusit; equidem fieri posse suspicor, ut Sulpicius ipse haec verba textui Taciteo adiecerit, propterea quod scriptor ecclesiasticus l. l. non modo Christianorum supplicia, quae scriptor rerum Romanarum ex Neronis »ludibrio« interpretatur, ex eo orta esse dicit, quod imperator »novas mortes excogitaverit,« sed etiam Chron. 2, 30, quo loco ex Taciti historiis res hausisse videtur (cf. Halmii recentissimam Taciti editionem, Lips. 1883, vol. 2, p. 218), in Judaeorum interfectorum numero referendo Josepho potius quam Tacito aures praebet (cf. Oros. 7, 9, 7).

[3]) Ex Sulpicii loco fortasse emendandum est: »victoris modestiae.«

nit: »Fertur Titus adhibito consilio prius deliberasse, an templum tanti operis everteret. Etenim nonnullis videbatur, aedem sacratam ultra omnia mortalia illustrem non debere deleri, quae servata modestiae Romanae testimonium, diruta perennem crudelitatis notam praeberet. At contra alii et Titus ipse evertendum templum imprimis censebant, quo plenius Judaeorum et Christianorum religio tolleretur.« Ex eo igitur elucet, utrumque scriptorem ecclesiasticum ex uno eodemque fonte hausisse, atque quis fuerit hic fons, Orosius (§ 7) his verbis testatur: »Sexcenta milia Judaeorum eo bello interfecta Cornelius et Suetonius referunt. Josephus vero Judaeus, qui ei tunc bello praefuit et apud Vespasianum propter praedictum imperium veniam gratiamque meruerat, scribit, undecies centena milia gladio et fame periisse: reliquias vero Judaeorum diversis actas condicionibus toto orbe dispersas: quarum numerus ad nonaginta milia fuisse narratur.« Cum autem Suetonius eo loco, quo Hierosolymorum interitum paucis absolvit (Tit. c. 5), neque Titi consilium neque de sexcentis Judaeis interfectis quidquam commemoret atque Josephi, Titi fautoris, testimonio Orosius sine dubio fidem abrogandam esse censeat, restat solus Cornelius Tacitus auctor harum rerum, quas et Sulpicius et Orosius ex eius historiarum libro sexto memoriae prodiderunt. Egregia autem illa Bernaysii coniectura etiam eo comprobatur, quod Sulpicius Chron. 2, 29, 4[1]) his verbis aliquam recordationem Taciti hist. 5, 10 prodere videtur: »Adversus eos (scil. Judaeos) Vespasianus proconsulari imperio a Nerone missus multis gravibusque proeliis devictos coegit intra muros Hierosolymorum confugere.« Itaque non dubito, quin Sulpicius non modo ultimos annalium, sed etiam primos historiarum libros lectos cognitosque habuerit.

Orosius[2]) autem, qui non raro Tacitum testem advocat (1, 5, 1; 1, 10, 3; 7, 3, 7; 7, 9, 7; 7, 10, 4; 7, 19, 4; 7, 34, 5) historiarum libros quartum, quintum, sextum, alios, qui sequebantur, ad res narrandas sibi usurpavit. Primum enim ex quinti libri parte adhuc servata duos locos (5, 3 et 5, 7) attulit, cum 1, 10, 3 sq., Justini loco (36, 2) prius laudato, ad hist. 5, 3 spectans haec scriberet: »At vero Cornelius de eadem re sic ait: »Plurimi auctores consentiunt, orta per Aegyptum tabe, quae corpora foedaret, regem Bocchorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem purgare regnum et id genus hominum ut invisum deis alias in terras avehere iussum. Sic conquisitum collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrimas torpentibus Moysen, unum exulum, monuisse, ne quam deorum hominumve opem exspectarent,[3]) sed sibimet duci caelesti[4]) crederent, primo cuius auxilio praesentes miserias pepulissent.« Itaque Cornelius dicit, quod ipsis Aegyptiis cogentibus Judaei in deserta propulsi sint, et postea subiungit incaute, quia ope Moysi ducis in Aegypto miserias pepulissent. Quare ostenditur quaedam, quae per Moysen strenue acta sunt, fuisse celata.« Atque ex hist. 5, 7 haec quidem verba Orosius (1, 5, 1 sq.) sumpsit: »Anno ante urbem conditam MCLX. confinem Arabiae regionem, quae tunc Pentapolis vocabatur, arsisse penitus igne caelesti inter alios etiam Cornelius Tacitus refert, qui sic ait: »Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes magnisque urbibus habitatos, fulminum iactu arsisse; sed[5]) manere vestigia, terramque ipsam, specie solidam,[6]) vim frugiferam perdidisse«. Et cum hoc loco nihil de incensis

---

[1]) Confer etiam Oros. 7, 9, 3. — [2]) Cf. Zangemeisteri editionem Orosii; Mörner, De Orosii vita eiusque historiarum libris VII. Berol. 1844, p. 155. — [3]) Post »exspectarent« Tacitus addit: »utrisque deserti.« — [4]) Taciti codex praebet: »et sibimet duce caelesti crederent;« ex Orosio scribendum esse censeo: »sed sibimet duci caelesti crederent.« Moyses enim apud Tacitum atque ex Taciti sententia Judaeos admonere mihi videtur, ne cuiquam deorum hominumve sibi credant, quoniam ab utrisque deserti sint, sed ut ei duci caelesti (id est Moysi sibi credant, primo cuius auxilio praesentes miserias pepulerint. — [5]) Tacitus: »et«. — [6]) Tacitus: »torridam«.

propter peccata hominum civitatibus quasi ignarus expresserit, paulo post velut oblitus consilii subicit et dicit: »Ego sicut inclitas quondam urbes igne caelesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram et corrumpi reor.««

Quae cum Orosius ad verbum expressa nobis proponat, non dubium est, quin 7, 3, 7 ipsa Taciti verba ex historiarum libro sexto praebeat: »Deinde ut verbis Cornelii Taciti loquar: »Sene Augusto Janus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos novae gentes saepe ex usu et aliquando cum damno quaeruntur, usque ad Vespasiani duravit imperium.« Hucusque Cornelius.« Haec verba, quae cum Oros. 6, 22, 2 et 7, 19, 4 conferenda sunt, Tacitus eo loco adiunxit, quo Vespasianum Hierosolymis deletis Janum claudentem fecit, nam facile eis adduntur, quae Orosium 7, 9, 4—9 e solis historiis Taciteis referre supra demonstravi. Praeterea Oros. 7, 8, 9 ex hist. 4, 1 et 2 fluxisse ideo suspicor, quoniam non difficulter ex initio huius libri irrepere potuit et apud Suetonium, quem 7, 8, 8 usque ad Vitellii c. 17 fin. expilavit, c. 18 nihil eiusmodi exstat, 7, 9, 1: »tranquilla serenitas sub Vespasiano rediit« ex hist. VI. haustum esse videtur[1]), 7, 9, 3: »itaque cum Judaeos, multis eorum oppidis captis in urbem Hierosolymorum praecipue ob diem festum congregatos, obsidione clausisset« cum hist. 5, 10; Sev. Chron. 2, 29, 4; 2, 30, 3 bene convenit, eiusdemque paragraphi verba: »sed cognita interfectione Vitellii paulisper Alexandriae substitit« abhorrent a Suet. Vesp. 7, qui iam ante Vitellii caedem Vespasianum Alexandriae commorantem fingit: denique facere non possum, quin ex eis, quae Sulpicius et Orosius de Hierosolymorum interitu narrant, hoc fragmentum historiarum proponam[2]): »Titus vero machinis cunctisque bellicis molibus magna ac diuturna obsidione non sine multo suorum sanguine Judaeos pressit[3]). Ad extremum, quia nulla neque pacis neque deditionis copia dabatur, fame interibant passimque viae oppleri cadaveribus coepere, victo iam officio humandi, quin omnia nefanda esca super ausi ne humanis quidem corporibus pepercerunt, nisi quae eiusmodi alimentis tabes praeripuerat. Igitur defessis defensoribus[4]) tandem muros civitatis irrupit. Sed ad expugnandam interiorem templi munitionem, quam reclusa multitudo sacerdotum et principum tuebatur, maiore vi et mora opus fuit[5]). Quod tamen postquam in potestatem redactum opere atque antiquitate suspexit[6]), adhibito consilio prius deliberavit, an templum tanti operis everteret. Etenim nonnullis videbatur, aedem sacratam ultra omnia mortalia illustrem non debere deleri, quae servata modestiae Romanae testimonium, diruta perennem crudelitatis notam praeberet. At contra alii et Titus ipse evertendum templum imprimis censebant, quo plenius Judaeorum et Christianorum religio tolleretur. Quippe has religiones, licet contrarias sibi, iisdem tamen auctoribus profectas; Christianos ex Judaeis exstitisse; radice sublata stirpem facile periturum.[7]) (Igitur) Titus templum in Hierosolymis incendit ac diruit [quod a die conditionis primae usque ad diem eversionis ultimae manserat annis mille centum et duobus] (et) muros urbis universos solo adaequavit.[8]) Sexcenta milia Judaeorum eo bello interfecta sunt[9]). Vespasianus et Titus imperatores magnificum agentes de Judaeis triumphum urbem ingressi sunt. Pulchrum et ignotum antea cunctis mortalibus inter trecentos viginti triumphos, qui a conditione urbis usque in id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit, patrem et filium uno triumphali curru vectos gloriosissimam [ab his, qui Patrem et Filium offenderant,] victoriam reportasse.[10]) Qui

---

[1]) Cf. Dial. 17: ac sextam iam felicis huius principatus stationem, quo Vespasianus rem publicam fovet. — [2]) Cf. fragmenta historiarum in recentissima Halmii editione Taciti, Lips. 1883. — [3]) Oros. 7, 9, 4. — [4]) Sulp. Chron. 2, 30, 2. — [5]) Oros. 7, 9, 4. — [6]) Oros. 7, 9, 5. — [7]) Sulp. 2, 30, 6; cf. quoque Heg. 5, 42, 13 »radices rebellionis eruendas funditus« cum Jos. bell. Jud. 6, 4, 3. — [8]) Oros. 7, 9, 6. — [9]) Oros. 7, 9, 7; cf. Tac. hist. 5, 13. — [10]) Oros. 7, 9, 8.

continuo omnibus bellis ac tumultibus domi forisque compressis pacem totius orbis pronuntiaverunt, et Janum geminum obseratis cohiberi claustris [sexto demum ipsi post urbem conditam] censuerunt.[1]) (Igitur) sene Augusto Janus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos novae gentes saepe ex usu et aliquando cum damno quaeruntur, usque ad Vespasiani duravit imperium.«[2])

Nimirum in reliquis quoque capitis noni paragraphis (§ 10 — 15), in quibus ultima Vespasiani tempora et Titi regnum exstant, Tacitum Orosii auctorem fuisse non modo ex illo fragmento supra proposito, sed etiam ex eo suspicor, quod verba § 13[3]): »cuius tanta tranquillitas in imperio fuit, ut nullius omnino sanguinem in re publica administranda fudisse referatur« cum eis consentiunt, quibus Ausonius in Caesaribus Titum imperatorem celebrat: »expers civilis sanguinis.« Omnibus illis indiciis commotus non dubito, quin 7, 10 § 2; 3; 4 Domitianus quoque e Tacito § 4 laudato descriptus sit. Atque in eadem parte historiarum, quae Dacos sive Getas tractavit, aliquo loco haec exstitisse videntur, quae Orosius 7, 34, 5 (cf. 1, 16, 2) refert: »Theodosius . . . . . maximas illas Scythicas gentes formidatasque cunctis maioribus, Alexandro quoque illi Magno, sicut Pompeius Corneliusque testati sunt, evitatas . . . . . hoc est Alanos, Hunos et Gothos, incunctanter adgressus magnis multisque proeliis vicit.« (1, 16, 2: »Getae illi, qui et nunc Gothi, quos Alexander evitandos pronuntiavit.«)[4])

Ausonio, scriptori Gallo, cum Tetrasticha, quibus imperatores Romanos celebravit,[5]) componeret, praeter Suetonium, quem in Neronis v. 4 laudat, etiam Taciti annales et historiae[6]) ante oculos versati esse videntur. Namque a parte librorum Taciteorum, quae usque ad nostram memoriam pervenerunt, haec quidem non plane abhorrent:

Tiberius.

Praenomen Tiberi nactus Nero, prima inventae Tempora laudato gessit in imperio.
Frustra dehinc solo Caprearum clausus in antro Quae prodit vitiis, credit operta bonis.
Confer Tac. ann. 6, 51 egregium vita famaque, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit.

Claudius.

Claudius irrisae privato in tempore vitae, In regno specimen prodidit ingenii.
Libertina tamen, nuptarum et crimina passus, Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.
Tac. ann. 11, 31 Satis constat, eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret, an ipse imperii potens an Silius privatus esset; cf. ann. 11, 35 Mirum inter haec silentium Claudii, Vitellius ignaro propior: omnia liberto oboediebant.

Galba.

Spem frustrate senex, privatus sceptra mereri Visus es, imperio proditus inferior:
Fama tibi melior iuveni, sed iustior ordo est, Complacuisse dehinc, displicuisse prius.
hist. 1, 49 maior privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.

---

[1]) Oros. 7, 9, 9. — [2]) Oros 7, 3, 7. — [3]) Ceterum etiam ab Eutropio 7, 21 Orosii verba non plane abhorrent, apud quem legimus: »(Titus) Romae tantae civilitatis in imperio fuit, ut nullum omnino puniret, convictos adversum sese coniurationis ita dimiserit, ut in eadem familiaritate qua antea habuerit.« — [4]) Cf. Dio 67, 6. — [5]) Ausonius, ed. Schenkl, p. 114 sq. — [6]) Jam Schenklius l. l. p. 115 Ausonii Galbam (21, 29) recte cum Tac. hist. 1. 49 comparavit; verum in eo, quod vir ille doctus Ausonio etiam Taciti Agricolae notitiam vindicat, eum non sequor, quoniam Aus. 34, 32: »libra Caledonios sine litore continet aestus« non satis multum consentit cum Tac. Agr. 10: »septemtrionalia eius nullis contra terris vasto atque aperto mari pulsantur.«

Otho.

Aemula polluto gesturus sceptra Neroni, Obruitur celeri raptus Otho exitio.
Fine tamen laudandus erit, qui morte decora Hoc solum fecit nobile, quod periit.

Tac. hist. 2, 47 alii diutius imperium tenuerint, nemo tam fortiter reliquerit; cf. hist. 2, 50 duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantundem apud posteros meruit bonae famae, quantum malae.

Vitellius.

Vitae ut sors mors foeda tibi, nec digne, Vitelli, Qui fieres Caesar: sic tibi fata placent.
Umbra tamen brevis imperii, quia praemia regni Saepe indignus adit, non nisi dignus habet.

Tac. hist. 3, 84 vinctae pone tergum manus; laniata veste, foedum spectaculum, ducebatur, multis increpantibus, nullo illacrimante: deformitas exitus misericordiam abstulerat.

Vespasianus.

Quaerendi attentus, moderato commodus usu, Auget nec reprimit Vespasianus opes.
Olim qui dubiam privato in tempore famam, Parum aliis, princeps transtulit in melius.

Tac. hist. 1, 50 et ambigua de Vespasiano fama, solusque omnium ante se principum in melius mutatus est.

Verum etiam in Caligula, Nerone, Tito describendis Ausonium Tacitum inspexisse ex his locis admodum probabile fit:

Caligula.

Post hunc castrensis caligae cognomine Caesar Successit saevo saevior ingenio:
Caedibus incestisque dehinc maculosus et omni Crimine pollutum qui superavit avum.

Confer Dio 59, 5 *οὕτω γὰρ καὶ πρὸς πάντα ἐναντίως ἐπεφύκει, ὥστε τὴν μὲν ἀσέλγειαν αὐτοῦ (ἐφ' οἵσπερ καὶ διέβαλλεν αὐτὸν) οὐ μόνον ἐζήλωσεν, ἀλλὰ καὶ ὑπερέβαλεν.*

Nero.

Aeneadum generis qui sextus et ultimus heres, Polluit, et clausit Julia sacra Nero.
Nomina quot pietas, tot habet quoque crimina vitae, Disce ex Tranquillo, quae meminisse piget.

Confer Dio 63, 29, 3 *ἔσχατος τῶν ἀπὸ τοῦ Αἰνείου καὶ ἀπὸ τοῦ Ἰουλίου γεγονότων.*

Titus.

Felix imperio, felix brevitate regendi, Expers civilis sanguinis, orbis amor,
Unum dixisti moriens te crimen habere: Sed nulli de te, non tibi credidimus.

Confer Oros. 7, 9, 13 cuius tanta tranquillitas in imperio fuit, ut nullius omnino sanguinem in republica administranda fudisse referatur.

Quibus causis commotus etiam duo disticha Domitiano dedita Taciti aliquam notitiam nobis praebere suspicor:

Domitianus.

Hactenus edideras dominos, gens Flavia, iustos, Cur duo quae dederant, tertius eripuit?
Vix tanti est habuisse illos: quia dona bonorum Sunt brevia; aeternum, quae nocuere, dolent.

Paulinus autem Nolanus[1]), Ausonii discipulus, Sulpicii amicus, non incompertum habuisse videtur dialogum de oratoribus, ex quo (dial. 8) in epistula 5, 5 ed. Migne locutionem »substantia facultatum« usurpavit: »Tu, frater dilectissime, ad dominum miraculo maiore conversus es, quia aetate florentior, oneribus patrimonii levior, substantia facultatum non egentior ....., repentino impetu discussisti servile peccati iugum.«

[1]) Ritter p. XXXIV.

Sidonius Apollinaris[1]) se historiarum libros legisse primum in ep. 4, 22 (ed. Baret) his verbis ex oratione Tacitea (hist. 5, 26) sumptis illustrat: »C. Tacitus, unus e maioribus tuis, Ulpianorum temporum consularis, sub verbis cuiuspiam Germanici ducis in historia rettulit dicens: cum Vespasiano mihi vetus amicitia, et dum privatus esset, amici vocabamur«[2]). Atque cum infra in eadem epistula scribat: »Nam tuorum peritiae comparatus non solum Cornelios oratores, sed Ausonios quoque poetas vincere potes«, Eumenium quoque rhetorem et Paulinum Nolanum, scriptorem ecclesiasticum, viros ex eadem gente ortos, qui num Tacito usi sint supra in medio reliqui, hunc ex dialogo de oratoribus locutionem, illum ex libello Agricolae res narrandas hausisse admodum probabile fit. Deinde Sidonium historiarum librorum studiis penitus deditum fuisse ex eius ep. 4, 24 elucet, quo loco simul Taciti epistula ad Plinium nobis deperdita significatur: »Sidonius Leoni (scil. Narbonensi) suo salutem. Vir magnificus Hesperius ..... praecipere te dicit, ut epistolarum curam ..... convertere-mus ad stylum historiae ..... Res quidem digna, quam tu iuberes, sed non minus digna, quam faceres. Namque et antiquitus, quum C. Cornelius C. Secundo paria suasisset, ipse postmodum, quod iniunxit, arripuit. Idque ab exemplo nunc me melius aggrederis, quia et ego Plinio ut discipulus assurgo et tu vetusto genere narrandi iure Cornelium antevenis: qui saeculo nostro si reviviscerat teque qualis in litteris et quantus habeare conspicaretur, modo verius tacitus esset.« Denique bis in carminibus Tacitum laudat Sidonius Apollinaris. Carmm. 22, 190 sq. ed. Baret: Qua Crispus brevitate placet, quo pondere Varro, Quo genio Plautus, quo fulmine Quintilianus, Qua pompa Tacitus numquam sine laude loquendus. Carmm. 20, 152 sq.:

Et te comica qui doces, Terenti?
Et te tempore qui satus severo
Graios, Plaute, sales lepore transis?
Et te multimoda satis verendum
Scriptorum numerositate, Varro?
Et te qui brevitate, Crispe, polles?
Et qui pro ingenio fluente nulli
Corneli Tacite, es tacendus ori?

Denique hos quidem Sidonii locos cum Taciteis comparandos nuperrime attulit Eugenius Geisler:[3])

Tacitus	Sidonius
hist. 1, 49 pecuniae alienae non appetens, suae parcus; cf. Sall. Cat. 5, 4.	epist. 3, 5, 2 vir alieni non appetens sui parcus; epist. 7, 14, 10 aliena non appetis.

Etiam grammaticos Tacitum non sprevisse imprimis scholiasta Juvenalis[4]) nos docet, quocum duos alios recentiores librorum interpretes, Servium et Lucani scholiastam, coniungere non inutile erit. Ille igitur in adnotationibus ad Juv. 2, 99 et 14, 102, Taciti nomine proposito, historiarum notitiam prodit. Priore enim loco legimus: »Occiso Galba Otho invasit imperium, qui tam probrosae curae in polienda forma fuit, ut humecto pane faciem liniret ad sollicitandum candorem. Utebatur et speculo. Hunc incomparabilis vitae bello civili Vitellius vicit apud Bebriacum campum. Horum bellum scripsit Cornelius, scripsit et Pompeius Planta, qui ait, Bebriacum vicum esse a Cremona vicesimo lapide.« Idem ex hist. 5, 3 et 4 haec ad Juv. 14, 102 adnotavit: »‚Volumine Moyses'. Sacerdos vel rex eius gentis aut ipsius quidem religionis inventor, cuius Cornelius etiam Tacitus meminit.« Denique verba, quibus Juvenalis versum 4, 112 interpretatur: »Fuscus sub Domitiano exercitui praepositus in Dacia periit. Notat autem eum, quia, cum luxuria diffluueret, inter dilicias

[1]) Haase p. XXIV. — [2]) Tac. l. l.: »erga Vespasianum vetus mihi observantia et, cum privatus esset, amici vocabamur.« — [3]) E. Geisler in novissima Sidonii editione, Mon. Germ. tom. VIII, 1887. — [4]) Haase p. LXVII, nota 343.

bellorum actus exercebat,« ex historiarum parte deperdita fluxisse mihi persuasi, quoniam Cornelium Fuscum, cuius expeditionem in Dacos Tacitus ex Orosii testimonio (7, 10, 4) accuratissime tractavit, in Dacia necatum esse Suetonius quidem Dom. c. 6 memoriae non prodidit. Servius vero, Vergilii interpres, ad Aen. 3, 399 de Locris praeter alia haec adnotavit:[1]) »Hi vero, qui iuxta Delphos colunt, Ozolae nuncupantur, sive a foetore draconis, quem Apollo interemit, seu quod uxores eorum Veneris ira viris suis fuerint foeditate taetri odoris invisae; qui autem Libyam delati sunt, Nasamones apellantur, ut Cornelius Tacitus refert, oriundi a Naryciis, quod ibi invenies, ubi ait: ‚Lybicone habitantes litore Locros.'« Postremo Lucani scholiasta ex servata historiarum parte (hist. 3, 72) ad 2, 221 haec refert: »Et dicit Cornelius Tacitus, quod Sulla dicebat, quod nil sibi defecit ad summam felicitatem, nisi quia Capitolium non dedicavit.«

Primis medii aevi temporibus Cassiodorus et Jordanis Taciti notitiam produnt. Quorum ille[2]) libellum de situ et moribus Germaniae lectum cognitumque habuisse videtur, ex quo ad Germ. c. 45 spectans Var. 5, 2 haec hausit: »Et ideo salutatione vos affectuosa requirentes, indicamus succina, quae a vobis per harum portitores divecta sunt, grato animo fuisse suscepta: quae ad vos Oceani unda descendens, hanc levissimam substantiam, sicut et vestrorum relatio continebat, exportat; sed unde veniat, incognitum vos habere discernunt, quam ante omnes homines patria vestra offerente suscipitis. Haec, quodam Cornelio scribente, legitur in interioribus insulis Oceani ex arboris succo defluens, unde et succinum dicitur, paullatim solis ardore coalescere. Fit enim sudatile metallum teneritudo conspicua, modo croceo colore rubens, modo flammea claritate pinguescens; ut, cum in maris fuerit delapsa confinio, aestu alternante purgata, vestris littoribus tradatur exposita. Quod ideo iudicavimus indicandum, ne omnino putetis, notitiam nostram fugere, quod occultum creditis vos habere.« Praeterea Cassiod. Var. 1, 37 ex Germaniae capite 18 fluxisse admodum probabile est: »Et ideo si oblatae petitionis minime sis veritate fraudabilis, et genialis thori maculam deprehensi adulterii sanguine diluisti, nec sub praetextu cruentae mentis causam pudoris intendis, ab exilio quod tibi constat inflictum te praecipimus alienum: quoniam pro amore pudicitiae porrigere ferrum maritis non est leges calcare sed condere.« Historias quoque Taciteas Cassiodorum primoribus labris attigisse Massmannus loco supra laudato ex his locis inter se comparatis recte concludit: Cassiod. Var. 18, 31 scuto impositus more gentis. Tac. hist. 4, 15 impositus scuto more gentis.

Maiorem, quam Cassiodorus, Jordanis,[3]) epitomator eius, Taciti notitiam prodit, ille enim de »quodam Cornelio« refert, hic de reb. Get. c. 2, 13 ed. Mommsen ad Agr. 12 spectans, Cornelium annalium scriptorem laudat: »noctem quoque clariorem in extrema eius parte minimamque Cornelius etiam annalium scriptor enarrat.«[4]) Praeterea Mommsenus l. l. alios quoque Jordanis locos cum libelli de Agricola capitibus optime comparavit, quos collectos brevi conspectu legentium animis proponam:

Jordanis, de reb. Get.	Tacitus, Agricola
2, 10 cuius licet magnitudine olim nemo, ut refert Libius, circumvectus est.	c. 10 formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentis-

[1]) Confer fragmenta Tacitea in editione Halmiana. — [2]) Ritter p. XXXV. Massmann, Tacitus' Germania p. 159. — [3]) Jordanis, Romana et Getica recensuit Th. Mommsen. Berol. 1882. Ritter p. XXXV. Massmann, Tacitus' Germania p. 156. — [4]) Dixerit quispiam. Tacitum ex Cassiodoro laudatum esse. Verum ex eo, quod hic tam pusillam Taciti notitiam prodit, Jordanem simili modo, ut Florus et Justinus, praeter scriptorem, quem excerpsit, etiam Tacitum inspexisse suspicor.

Jordanis, de reb. Get.

2, 12 modo vero dumosa, modo silvestrae iacere planitiae, montibus etiam nonnullis increscere: mari tardo circumfluam, quod nec remis facile impellentibus cedat, nec ventorum flatibus intumescat, credo, quia remotae longius terrae causas motibus negant: quippe illic latius, quam usquam, aequor extenditur.

2, 13 Silorum colorati vultus; torti pleroque crine et nigro nascuntur; Calydoniam vero incolentibus rutilae cumae, corpora magna, sed fluida: Gallis sive Spanis, ut quibusque obtenduntur, adsimiles. Unde coniectavere nonnulli, quod ea ex his accolas contiguo vocatos acceperit.

2, 10 quae diu si quidem armis inaccensam Romanis Julius Caesar proeliis ad gloriam tantum quaesitis aperuit.[1])

Tacitus, Agricola

simi auctores oblongae scutulae vel bipenni adsimulavere.

c. 10 sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent ne ventis quidem proinde attolli, credo, quod rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque aestus neque quaerere huius operis est, ac multi rettulere; unum addiderim, nusquam latius dominari mare.

c. 11 namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem adseverant. Silurum colorati vultus, torti plerumque crines et posita contra Hispania Hiberos veteres traiecisse easque sedes occupasse fidem faciunt. Proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis vi seu procurrentibus in diversa terris positio caeli corporibus habitum dedit.

c. 13 igitur primus omnium Romanorum divus Julius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse.

Mommseni exemplis nonnullos alios adicere mihi licebit:

Jordanis

2, 10 Britannia insula, quae in sinu Oceani inter Spanias, Gallias et Germaniam sita est.

39, 206 quis denique Meotidarum iter maiores nostros aperuit tot saeculis clausum secretum?

3, 17 haec a fronte posita est Vistulae fluminis, qui Sarmaticis montibus ortus in conspectu Scandzae septemtionali Oceano trisulcus inlabitur, Germaniam Scythiamque disterminans.

49, 254 redundans sanguis, qui ei solite de naribus effluebat, dum consuetis meatibus

Tacitus

Agr. 10 (Britannia) spatio ac caelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam inspicitur.

Agr. 25 tamquam aperto maris sui secreto.

Germ. 1 Rhenus, Raeticarum Alpium inaccesso et praecipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem versus septemtrionali Oceano miscetur.

ann. 14, 51 tumescentibus paullatim faucibus et impedito meatu spiritum finiebat.

[1]) Ad hunc locum etiam Germaniae caput primum conferendum est: »cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus Raeticarum Alpium inaccesso et praecipiti vertice ortus« e. q. s. (Massmann l. l.)

Jordanis	Tacitus
impediretur, itinere ferali faucibus illapsus extinxit.	
36, 185 serens Gothorum Romanorumque discordia.	hist. 5, 11 crebra pro portis proelia serebant.

Post Cassiodorum vero et Jordanem per multa saecula ne nomen quidem Taciti apud quemquam scriptorem relatum exstare iam satis notum est. Verum quomodo Tacitus apud quosdam medii aevi scriptores usque ad Petrarcarum et Boccatiorum tempora sive laudatus sive ad scribendi usum adhibitus sit, alii viri docti in aliis libris contenderunt et alia ratione iudicaverunt. Quodsi viros illos doctos in via lubrica et spinosa secutus nihil novi prompsi, nisi varias eorum sententias collegi et illustravi, eo magis veniam mihi dabis, quod et in via non satis investigata omnia, quae ad Tacitum pertinent, collecta maximi momenti sunt, neque ullus fere horum virorum locis scriptorum exscriptis rem satis illustratam legentium animis proposuisse mihi videtur.

Atque duobus saeculis interpositis in Bonifati epistulis Tacitum reviviscere Oelsnerus coniecit, qui in libro: »Pippin« p. 175 hanc sententiam prompsit[1]): »Später« (id est in Bonifati ultimis vitae annis) »wird sein Ausdruck durchaus einfach und sachlich, und wenn uns z. B. bei Lull hin und wieder ein Citat aus Vergil begegnet, so findet sich dagegen in des Bonifatius' Briefen, von Anklängen an Tacitus abgesehen (Germ. 19: ep. 59 p. 172 ed. Jaffé) keine einzige klassische Stelle, wohl aber eine Fülle von Anführungen aus der heiligen Schrift alten und neuen Testaments.« In epistula autem, quam Oelsnerus significat, episcopus ille Moguntinus Aethilbaldum, Mercionum regem, ad pudicitiam admonens multa exempla e sacra scriptura protulit atque, ut exhortationi suae maiorem vim adderet, paganos quoque non modo pudicitiam magni aestimavisse, sed etiam adulterium severissimis poenis cohibuisse affirmavit, praeter alia haec quoque promens: »Nam in antiqua Saxonia si virgo paternam domum cum adulterio maculaverit vel si mulier maritata, perdito foedere matrimonii, adulterium perpetraverit, aliquando cogunt eam, propria manu per laqueum suspensa, vitam finire; et super bustum eius incensae et concrematae corruptorem eius suspendunt. Aliquando, congregato exercitu femineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducunt, virgis cedentes et vestimenta eius abscidentes iuxta cingulum; et cultellis suis totum corpus eius secantes et pungentes minutis vulneribus cruentatam et laceratam de villa ad villam mittunt; et occurrunt semper novae flagallatrices, zelo pudicitiae adductae, usque eam aut mortuam aut vix vivam derelinquunt, ut ceterae timorem adulterandi et luxoriandi habeant.« Contra Tacitus hunc Germanorum morem sic illustrat in libro de Germania c. 19: »Paucissima in tam numerosa gente adulteria. Quorum poena praesens et maritis permissa: abscissis crinibus, nudatam, coram propinquis expellit domo maritus ac per omnem vicum verbere agit. Publicatae enim pudicitiae nulla venia; non forma, non aetate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur.« Hos igitur utriusque scriptoris locos si diligentius inter se contuleris, quam lubrico fundamento Oels-

[1]) Praeterea confer Münz, Tacitus' Sittenschilderung der alten Germanen, bestätigt durch den heiligen Bonifatius und den Presbyter Salvian. Annalen des Vereins für Nassauische Altertumskunde 9. 168, qui praeter Bonifati locum laudatum etiam Salviani »de gubernatione dei et de iusto dei iudicio libros VIII.« scriptos anno 445 legentium animis proponit. Verum neque huic neque illi Taciti notitiam vindicat, cum res, quas de bonis moribus Germanorum refert, illos scriptores confirmare iure meritoque contendat. De Bonifatio autem longius disputavi, quoniam locus eius cum Taciteo quodammodo potest comparari.

neri coniectura nitatur, facile intellegas, quandoquidem non modo verba non congruunt, sed ne res quidem plane consentiunt. Sane quidem et Romanus et Anglo-Saxo scriptor morem maiorum nostrorum adulteria gravissimis poenis afficiendi rettulit, sed Bonifatium, qui tam diu in Germania vixit, per alios quoque homines, veluti per Saxones ipsos, de more illo et instituto Germanorum certiorem fieri potuisse vix tu infitias ibis.

Inde a Caroli demum Magni tempore studia librorum Taciteorum quodammodo revirescere coeperunt. Verum cavendum est, ne omnia, quae apud medii aevi monachos Taciti locutionibus similia inveniuntur, ex ipsis eius libris derivata esse putemus, cum multa eiusmodi etiam ex aliis fontibus fluxisse negari non possit.

Atque iam Einhartus, quem Taciti libros diligentissime perlegisse Manitius[1]) demonstrare conatus est, primoribus hunc scriptorem labris attigit. Namque non modo annalium notitiam nullam prodit, sed ne ex libro quidem de Germania et ex historiis tam multas res memoria tenebat, quam vir ille doctus putabat. Tamen non immerito hos quidem locos ille composuit:

Tacitus	Einhartus
Germ. 1 .... montis Abnobae iugo effusus, ... Rhenus .... ortus .... septemtrionali oceano miscetur.	Vita Caroli Magni 15 totumque Pyrenaei iugum et usque ad Hiberum amnem, qui apud Navarros ortus .... Balearico mari miscetur.
Germ. 2 celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae et annalium genus est.	Vita Caroli 29 barbara et antiquissima carmina, quibus veterum regum actus et bella canebantur.
Germ. 22 diem noctemque continuare potando.	Translatio S. S. Petri et Marcellini 65[2]) tres totidemque noctes orando continuare.
hist. 1, 71 desidia torpescere.	Vita 19 ne per otium torperent.
hist. 2, 12 blandiebatur coeptis fortuna.	Vita 8 nec in prosperis falso blandienti fortunae.

Rudolfus vero Fuldensis Visurgim fluvium ex annalium libri secundi notitia Mon. Germ. Scriptt. 1, 368 (cf. Tac. ann. 2, 9; 11; 16; 17) sic laudat:[3]) »Igitur in loco, qui appellatur Mimida super amnem, quem Cornelius Tacitus, scriptor rerum a Romanis in ea gente gestarum, Visurgim, moderni vero Wisahara vocant.« Praeterea in Translatione S. Alexandri (Mon. Germ. Scriptt. 2, 675 sq.) haec ille ex Taciti libris expilavit:[4]) „Generis quoque ac nobilitatis suae providissimam curam habentes, nec facile ullis aliarum gentium vel sibi inferiorem connubiis infecti propriam et sinceram et tantum sui similem gentem facere conati sunt. Unde habitus quoque ac magnitudo corporum comarumque color, tamquam in tanto hominum numero, idem paene omnibus[5]) ..... Legibus etiam ad vindictam malefactorum optimis utebantur. Et multa utilia secundum legem naturae honesta in morum probitate habere studuerunt, quae eis ad veram beatitudinem promovendam proficere potuissent, si ignorantiam creatoris sui non haberent et a veritate culturae illius non essent alieni. Coluerunt

[1]) Manitius, Einharts Werke und ihr Stil, Neues Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde 7, 527 sq.; cf. ibid. 1885, p. 67. — [2]) Ed. G. Henschen, Acta S. S. Jun. 1, 181—206. — [3]) Ritter, p. XXXVI. sq. — [4]) Ritter, tom. IV. p. VI. De Translatione S. Alexandri praeterea conferendi sunt hi libri: Wetzel, Ueber die Translatio S. Alexandri, Kiel 1881, Wattenbach Neues Archiv 7, 228 sq. Waitz, Göttinger gelehrter Anzeiger, p. 705 sqq. — [5]) Cf. Germ. 4.

enim eos. qui natura non erant dii: inter quos maxime Mercurium venerabantur, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare consueverant. Deos suos neque templis includere, neque ullae humani oris speciei adsimulare ex magnitudine et dignitate coelestium arbitrati sunt. Lucos ac nemora consecrantes deorumque nominibus appellantes secretum illud sola reverentia contemplabantur.[1]) Auspicia et sortes quam maxime observabant. Sortium consuetudo simplex erat. Virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputabant eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargebant; mox, si publica consultatio fuit, sacerdos populi, si privata, ipse paterfamilias precatus deos coelumque suspiciens ter singulos tulit, sublatisque secundum impressam ante notam interpretatus est. Si prohibuerunt, nulla de eadem re ipsa die consultatio, si permissum est, eventum adhuc fides exigebatur. Avium voces volatusque interrogare proprium gentis illius erat. Equorum quoque praesagia ac monitus experiri hinnitusque ac fremitus observare; nec ulli auspicio maior fides non solum apud plebem, sed apud proceres habebatur. Erat et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorare solebant; eius quippe gentis, cum qua bellandum fuit, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum patriis quemque armis committere et victoriam huius vel illius pro indicio habere[2]). Quomodo autem certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur, agendis rebus auspicatissimum initium crediderint[3]) et alia innumera vanarum superstitionum genera, quibus implicati sunt, observerint, praetereo.«

Accedunt hi loci, alter Rudolfi, alter Bawari cuiusdam, annalium Fuldensium scriptoris, a Manitio recte cum Taciteis comparati:

Tac. ann. 12, 66 in tanta mole curarum.	Annales Fuldenses a. a. 858 (locus a Rudolfo scriptus): subiit regem curarum maxima moles.
Ann. 16, 34 vesperascente iam die; ceterum cf. ann. 1, 65; hist. 2, 49 vesperascente die.	Ann. Fuld. a. a. 894 (locus a Bawaro scriptus): vesperascente iam die; cf. a. a. 896: iam vesperascente die.

Locos vero, quos ex Widukindo bene proposuit Manitius,[4]) denuo alio ordine in lucem proferre ab hac dissertatione non alienum esse putavi:

Tacitus	Widukindus
ann. 1, 1 cuncta discordiis civilibus fessa; cf. ann. 2, 39 discordiis armisque civilibus rem publicam perculisset.	1, 38 qui civilibus, discordiis et externis bellis .... laboratis.
ann. 1, 12 plus quam civilia agitarent.	3, 18 ibi plus quam civile ... bellum coeptum.
ann. 1, 65 per quae egeritur humus.	1, 5 erat enim egesta humus plurima.
ann. 1, 68 raro super milite.	1, 38 cum raro milite armato.
ann. 1, 72 decreta eo anno triumphalia insignia. Nomen patris patriae ... repudiavit.	3, 49 triumpho celebri rex factus gloriosus ... pater patriae imperatorque appellatus est. Decretis proinde honoribus.
ann. 2, 59 cultu habituque.	1, 18 cultu habituque.
ann. 4, 34 nobis in arto et inglorius labor.	3, 45 nostros in arto sitos.
hist. 1, 71 Otho ... non deliciis neque desidia torpescere.	2, 36 nequaquam desidia torpuit; cf. Einhart., Vit. Caroli 19..

[1]) Germ. 9. — [2]) Germ. 10. — [3]) Germ. 11. — [4]) Manitius, Zu deutschen Geschichtsquellen des 9. bis 12. Jahrhunderts, Neues Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde 1885.

Tacitus	Widukindus
hist. 3, 17 nullum in illa trepidatione Antonius constantis ducis aut fortissimi militis officium omisit.	3, 46 fortissimi militis ac optimi imperatoris officium gerens.
hist. 4, 59 famem ferrumque et extrema passuros.	1, 35 cepit urbem . . . fame ferro frigore.
Germ. 8 memoriae proditur, quasdam acies inclinatas . . . . a feminis restitutas constantia precum . . . . . inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant.	1, 12 divinum ei animum inesse coelestemque virtutem acclamantes, qui sua constantia tantam eos egerit victoriam. Acta sunt autem haec omnia, ut maiorum memoria prodit.
Germ. 27 haec . . . de omnium Germanorum origine . . . accepimus: nunc singularum gentium instituta ritusque expediam.	Praef. 1 sed et de origine statuque gentis . . . pauca scribere curavi; 1, 2 Et primo quidem de origine statuque gentis pauca expediam.

Verum post Widukindum Germaniae Taciteae notitia ex patria nostra evanescere videtur, propterea quod scriptor ille Vitae Heinrici IV.,[1]) quem maiora opera cognita habuisse non iam est dubium,[2]) laudati libelli nullam prodit memoriam. Locos igitur a Manitio allatos, quibus paucos adiecisse me non pigebit, brevi conspectu proponam:

Tacitus	Vita Heinrici IV.
ann. 1, 32 pedibusque Caecinae advolveretur; cf. 1, 13 Tiberii genua advolveretur.	10. ad patrios pedes advolvi debuisset.
ann. 1, 47 immotum contra eos sermones fixumque Tiberio fuit; cf. Verg. Aen. 4, 15.	9. dimissoque exercitu rex Ratisponam se contulit, ut eam, dum adhuc ancipiti penderet animo, stabilem sibi fixaque fide immobilem faceret; cf. Amm. 19, 12, 2.
ann. 1, 81 vix quicquam firmare ausim.	6. cum incerta . . . , nec ausim affirmare.
ann. 4, 8 effusum in lacrimas senatum.	13. fundunt in corpus lacrimas; cf. Justin. 1, 8, 9; Amm. 25, 5, 6.
ann. 4, 50 telis non in falsum iactis. cap. 51 interea barbari . . . . saxa, praeustas sudes, decisa robora iacere . . . . scalas ante fabricati . . . . et adversum resistentes comminus niti.	6. Inde miles scalis ascendere parabat. Econtra, qui in urbe erant, tela, saxa, praeustas sudes ignemque iactabant; interdum egressi comminus committebant.
ann. 6, 46 vocibus, per quas intellegeretur providus futurorum.	13. providusque futuri . . . . animos spe dubia suspendit.

[1]) Confer: A. v. Druffel, Kaiser Heinrich IV. und seine Söhne, Ratisb. 1862 p. 93 sq. Giesebrecht, Deutsche Kaiserzeit 3, 1051 sq. Jaffé, Geschichtschreiber der deutschen Vorzeit. 12. Jahrhundert. Gundlach, Ein Dictator aus der Kanzlei Heinrichs IV. Innsbr. 1884. Neues Archiv. tom. 11. 2. Ex eis, quae de scriptore illo ignoto disputata sunt, maxime comprobanda esse videntur ea, quae, Druffelio viam demonstrante, Giesebrechtius disserit, cum eum Erlungum, Heinrici IV. imperatoris cancellarium fuisse contenderet, qui Wirziburgi, Bambergi, fortasse etiam Ratisponae commorabatur. Quodsi in re incertissima quidquam conicere licet, hunc scriptorem cum claustro Fuldensi quodammodo cohaerere ex studiis eius Taciteis elucere videtur, propterea quod Einhartum, Rudolfum, Bawarum in illo coenobio vixisse et scripsisse inter omnes viros doctos satis constat. — [2]) Manitius, l. l. 1885 p. 61.

Tacitus	Vita Heinrici IV.
ann. 12, 15 postremo exercitu coacto .... Bosporum invasurus habebatur, diffisi propriis viribus Aquila et Cotys ..... gratias quaesivere.	3. Iterum, cum inde digressus reparato in brevi exercitu eos invaderet, diffidentes viribus suis ... se dedidere sperantes .... gratiam suam facile donaturum.
hist. 3, 76 non intuta moenium firmare.	13. quae et ex firmitate murorum et ex forti milite tutissima; cf. Amm. 31, 15, 6; 16, 4, 2.

Quare paullo post annum 1106 sive in claustro Fuldensi sive in aliis Germaniae partibus Taciti annales et historiae adhuc exstabant, verum de Germania libellus Heinrici IV. imperatoris temporibus in Italia nobis occurrit. Donizo[1]) igitur, comitissae Mathildis amicus, cum dicat Mon. Germ. Scriptt. 12, 390:

„Nunc celebrant Pascha cum falsis ex Alemanna,
Qui peramant Bachum, flagrant ad luxuriandum.
Illorum linguas nescis faciles quoque rixas.
Cum sunt potati, pro verbis, fertur, amaris
Ensem denudant, sociorum viscera truncant.
Mordent more lupi, cum sumunt pabula, cuncti;
Atria sanctorum violenter frangere norunt."

Germaniae caput 22 recordatus est, ubi legimus: „Crebrae, ut inter vinolentos, rixae raro conviciis, saepius caede et vulneribus transiguntur."

Ceterum facere non possum, quin eorum opinionem reiciam, qui aliis quoque medii aevi scriptoribus Taciteorum librorum notitiam vindicare conati sunt. Primum igitur non iam sub iudice lis est[2]), Freculphum, cum in Chronicis 2, 2, 6[3]) et 2, 3, 3[4]) Tacitum laudaret, verba Orosii 7, 10, 4 et 7, 19, 4 exscripsisse.

Porro Waitzii[5]) coniectura adductus non dubito, quin ei refutandi sint, qui ex Harigeri Lobiensis[6]) loco atque e scholio ad Adamum Bremensem[7]) Taciti libros in illis orbis terrarum partibus notos fuisse concludant. Nam Harigeri quidem verba Mon. Germ. Scrr. 7, 168, ut antehac falso vulgabantur: »Haec (scil. Tungri) est Octavia ob honorem Octaviani Augusti vel matris eius, sororis Julii Caesaris, qui primo Gallias Romano subegit imperio; et fertur Germania fuisse nominata« ad Germaniae caput secundum spectare videbantur, ut nunc emendata leguntur: »Et Octaviam eam ob

[1]) Waitz, Forschungen zur deutschen Geschichte 10, 602. Kauffmann, Philologus 31. 751. Pannenborg, Studien zur Geschichte der Herzogin Mathilde, Programm des Göttinger Gymnasiums 1872, p. 14. — [2]) Ritter p. XXXVI. Grunauer, De fontibus historiae Freculphi. p. 57. — [3]) Freculph. Chron. 2, 2, 6: »Bellum adversus Germanos et Dacos per legatos gessit, pari rei publicae pernicie, cum et in urbe ipse senatum populumque laniaret et foris male circumactum exercitum assidua hostes caede conficerent. Nam quanta fuerint Diurpanaei, Dacorum regis, cum Fusco duce clades, longo textu evolverem, nisi Cornelius Tacitus, qui hanc historiam diligentissime contexuit, de reticendo captivorum numero et Sallustium Crispum et alios auctores quam plurimos sanxisse et inde se ipsum potissimum elegisse dixisset.« — [4]) Freculph. Chron. 2, 3, 3: »Gordianus admodum puer in orientem ad bellum Parthicum profecturus, sicut Eutropius scribit, Jani portas aperuit, quas utrum post Vespasianum et Titum aliquis clauserit, neminem scripisse memini, cum tamen eas ab ipso Vespasiano apertas Cornelius Tacitus prodat.« — [5]) Forschungen zur deutschen Geschichte 10, 602. — [6]) Haupt, Ztschr. f. deutsches Altert. 5, 77. Reifferscheid, Suetonii Reliquiae, Addenda p. XIV. — [7]) Reifferscheid, l. l.

honorem Octaviani Augusti vel matris eius, sororis Julii Caesaris, qui primus Galliam Romano subegit imperio et Germaniam, ferunt fuisse nominatam« cum illo loco neque conveniunt neque comparari possunt. Atque scholion 124 ad Adamum[1]) (Mon. Germ. Scrr. 7, 376): »Tacitus Suevos hoc quoque Sueonum nomine appellat« (cf. Germ. 44 sq.) Waitzius[2]) merito ex veterum scholiorum numero tollit, quippe quod in nullo Bremensis monachi codice, sed in Descriptione regionum sentemtrionalium anno 1685 edita in margine adnotatum exstet.

Ex eo autem, quod apud duos saeculi duodecimi scriptores Taciti nomen, sequenti saeculo illud quidem plane ex hominum memoria evanescens commemoratum legimus, non est concludendum etiam libros eius illis compertos fuisse. Joannes igitur Saresberiensis[3]) et Petrus Blaesensis[4]) Cornelium Tacitum aliosque rerum scriptores sic laudant:

Joannes Saresb. Policraticus 8, 18

Quae si quis diligentius recenseri voluerit, legat ea, quae Trogus Pompeius, Josephus, Egesippus, Suetonius, Quintus Curtius, Cornelius Tacitus, Titus Livius, Serenus[5]) et Tranquillus, et alii historici, quos enumerare longum est, suis comprehenderunt historiis.

Petr. Blaesensis epistula 101

Praeter ceteros illos libros, qui celebres sunt in scholis, profuit mihi frequenter inspicere Trogum Pompeium, Josephum, Suetonium, Hegesippum, Quintum Curtium, Cornelium Tacitum, Titum Livium, qui omnes in historiis, quas referunt, multa ad morum aedificationem et ad profectum scientiae liberalis interserunt.

Atque Joannem quidem, qui anno 1159 Policraticum scripsit, Taciti nomen eadem ratione, qua Freculphum, ex Orosio sumpsisse, Ritterus p. XXXVI. recte monet, cuius viri docti sententiam Schaarschmidtius l. l. p. 205 sqq. bene ita comprobat, ut hunc philosophum multos scriptores, quorum libros numquam vidisset, tamquam lectos sibi et cognitos laudasse doceat. Cum autem Petrus, qui circa annum 1200 vixit, eadem antiquorum scriptorum nomina, quae apud Joannem exstant, Sereno et Tranquillo omissis, uno fere eodemque ordine praebeat, ea ex philosophi Saresberiensis loco hausta esse admodum probabile fit.

Ita spes fore, ut Freculphus, Harigerus, Adamus in Germania, in Britannia Joannes, in Gallia Petrus Taciti libros novissent, nos frustrata est. Joannis autem Saresberiensis populares, quos breviter attingere non inutile erit, Agricolam, qui situm moresque Britanniae illustrat, non sprevisse exspectes, verum nemo in Britannia per medium aevum hunc librum commemorat. Itaque numquam Agricolam, nedum reliqua Taciti opera, ex continenti in Britannorum insulam commigrasse pro certo affirmaverim.

Haec hactenus; sed e Britannia in Italiam transire visum est, ubi saeculo quarto decimo Petarca et Boccatio ducibus et alios Graecorum Romanorumque scriptores in lucem protrahi et Tacitum sensim et paullatim expergisci videmus. Petrarca autem, qui tam multos veteres scriptores e claustrorum recessu ac solitudine in hominum frequentiam reducebat, Tacitum plane silentio praeterisse videtur, Boccatius vero quin ultimam partem annalium et historiarum primam codice[6]) quodam

[1]) Adamus ipse Mon. Germ. Scrr. 7, 286 non e Tacito, sed ex Translatione S. Alexandri l. l. exscripsit. — [2]) Cf. Waitzianam editionem Adami ex recensione Lappenbergii 1876, p. 169 et p. XI. XII. — [3]) Schaarschmidt, Joannes Saresberiensis in seinem Verhältnis zur klassischen Literatur p. 204 nota 4. — [4]) Rühl, Verbreitung des Justin im Mittelalter p. 22. — [5]) Fortasse scribendum est: »Severus. — [6]) Epist. ad Nicol. de Montealcone; Corazz. p. 259.

usus perlegerit et ad scribendas res usurpaverit, non est dubium.[1]) Locos igitur a Schueckio et Koertingio iam laudatos exemplis exscriptis comprobare ab hac dissertatione non alienum esse putavi:

Boccatius, de claris mulieribus:	Tacitus
Agrippina, Neronis mater: verum cum vomitu et alvi solutione videretur salus Claudii secutura, opere Xenophontis medici, illitis veneno pennis ad vomitum continuandum porrectis, eo itum est, quo cupiebat uxor.	ann. 12, 67 simul soluta alvus subvenisse videbatur. Igitur exterrita Agrippina . . . . . provisam iam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. Ille tamquam nisus evomentis adiuvaret, pinnam rapido veneno inlitam faucibus eius demisisse creditur.
Epicharis: solutam pectori fasciam, arvi sellae, qua vehebatur, implicuit, et facto laqueo gutturi iniecit suo et cum omnem illi corporis dimisisset molem, ne conspiratis obesset, violentam sibi mortem conscivit.	ann. 15, 57 vinclo fasciae, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellae restricto indidit cervicem et corporis pondere conisa tenuem iam spiritum expressit.
Pompeia Paulina: sepositis consolatoriis viri ad vitam blanditiis.	ann. 15, 64 deinde oblata mitiore spe blandimentis vitae evictam.
ibid.: verum non adeo cito sanguis consistere coactus est, quin pallore perpetuo testaretur, mulier optima plurimum vitalis spiritus emisisse cum viro.	ibid.: laudabili in maritum memoria et ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset multum vitalis spiritus egestum.
Poppaea Sabina: et cum illi iam peperisset unicam Memmio Regulo et Virginio Ruffo consulibus, quam summo cum gaudio Nero susceperat eamque Augustam Poppaeam nuncuparat.	ann. 15, 23 Memmio Regulo et Verginio Rufo consulibus natam sibi ex Poppaea filiam Nero ultra mortale gaudium accepit appellavitque Augustam, dato et Poppaeae eodem cognomento.
Triaria: (Triaria accincta gladio) irruebat in miseros, adeo, ut crudeliter nimium atque superbe in hostes egisse relatum sit.	hist. 3, 77 fuere, qui uxorem Lucii Vitellii Triariam incesserent, tamquam gladio militari cincta inter luctum caedesque expugnatae Tarracinae superbe saeveque egisset.

Etiam in commentario ad Dantei divinam comoediam (ed. Milanesi, Firenze 1863) Tacitum bis adhibitum esse Koertingius affirmat; cf. Bocc. Comment. ad Dant. 1,333 = ann. 15,57 et ibid. ad 1, 400 = ann. 15, 60. Praeterea Boccatius in Genealogia Deorum 3, 23 Tacitum testem advocans his verbis ad hist. 2, 3 spectat: »Est autem Cyprus insula vulgata phama, seu caelo agente, seu alio incolarum vitio, adeo in Venerem prona, ut hospitium, officina fomentumque lasciviarum atque voluptatum omnium habeatur. Quam ob causam Paphiis concedendum est, primo apud eos ex undis Venerem emersisse. Verum hoc potius ad historiam, quam ad alium sensum pertinere ex Cornelio Tacito sumi potest, qui velle videtur, Venerem auspicio doctam, armata manu conscendisse insulam bellumque Cynarae regi movisse, qui tandem hanc iniit concordiam cum Venere, ut ipse rex Veneri templum construeret, in quo eidem Veneri sacra ministrarent, qui ex familia regia et sua succederent. Confecto autem templo sola animalia masculini generis in holocaustum parabantur, altaria vero san-

[1]) Schueck, Jahrbb. f. Phil. 101, 470; Koerting, Boccaccio, p. 393.

guine maculari piaculum esset, cum solis precibus igneque puro illa adolerent. Simulachrum vero deae nullam humanam habere dicit effigiem, quin immo esse ibidem continuum orbem latiore initio et tenuem in ambitu ad instar metae exurgentem et quare hoc nullam haberi rationem.« [1]) Denique Boccatium in libro de claris mulieribus ultima annalium, prima historiarum parte usum esse, priorum autem annalium librorum in Agrippina, Germanici coniuge, describenda nullam Taciti notitiam prodere commonendum est. Hac de causa codicem eius nihil aliud, nisi codex ille Mediceus II., qui adhuc exstat, comprehendisse maxime probabile est.

Reliqua autem librorum Taciteorum fata quae renascentium literarum temporibus fuerint, inter omnes viros doctos satis constat. Post Boccatium igitur inter annos 1425 et 1428 Poggius codicem Fuldensem annalium libros I.—VI. continentem a monacho quodam Hersfeldensi frustra petivit, paullo post autem anno 1513 Leo X. papa vel eundem vel alium ex eo exscriptum Corbeiensem codicem furto ablatum Romam transferendum curavit et Mediceum I. appellatum in bibliotheca Laurentiana collocavit, cui etiam codicem monasterii Casinensis, qui annalium libros XI.—XVI. historiarumque I. — V. complectitur, Mediceum II. nominatum adiunxit. Atque hi quidem codices Medicei antiquissimi prior saeculo IX. vel X., alter saeculo XI. scripti sunt, brevium autem operum recentes inde a saeculo XV. exarati exstant codices. Libris enim Germaniae et dialogi ea sors obvenit, ut cum Suetonii de viris illustribus libellis coniuncti ab Enoc Asculano, qui aetate Nicolai V. pontificis maximi (1447—1455) per Galliam Germaniamque itinera fecit, in Italiam translati et, cum Asculani codex ipse periisset, temporumque mutationibus Germania a dialogo divulsa esset, recentioribus codicibus nobis seorsum relicti sint. Omnium autem Taciti librorum pessime nobis traditus est Agricola, quoniam non modo omnes eius codices recentioris sunt originis, sed ne fata quidem eorum novimus.

---

[1]) Perverse vero Koertingius, apud quem mendo quodam typographico »5, 65« pro »4, 46« legitur, locum quendam Italici carminis, quod »Amorosa Visione« inscribitur, 4, 43 laudat, ut facile cognoscas, si verba Boccatii ipsa evolvas:

»Nel verde prato a man destra vid' io
Di questa donna, in più notabil sito
Aristotile star con atto pio:
Tacito riguardando in sè unito
Pensoso mi pareva; e poi appresso
Isocrate sedea quasi smarrito.«

Corrigenda.

p. 2 v. 3 ab imo, pro »*νεανισκος*« lege »*νεανίσκος*«.
p. 4 nota 1, pro »ad inceptum« lege »ad rerum ordinem«.
p. 9 v. 13 ab imo, pro »Julis« lege »Juliis«.
p. 18, nota 6, pro »Woefflin« lege »Woelfflin«.
p. 24, v. 17 ab imo, pro »*ἐπει*« lege »*ἐπεί*«.
p. 27 v. 2 a summo, pro »Brittania« lege »Britannia«.
p. 32 v. 20 ab imo, pro »*ἀλλα*« lege »*ἀλλὰ*«.
p. 32 v. 11 ab imo, pro »republica« lege »re publica«.